C. SALUSTI CRISPI

CATILINA ET IUGURTHA

ORATIONES ET EPISTOLAE

EX

HISTORIARUM LIBRIS DEPERDITIS

CUM INTEGRA VARIETATE

VICTORIANA, GERLACHIANA, KRITZIANA.

RECOGNOVIT

IO. CASPAR ORELLIUS.

ADDITAE SUNT

M. TULLII CICERONIS CATILINARIA

ET

EPITOMAE T. LIVII LIBRORUM CXL.

EDITIO ALTERA.

ZÜRICH.

MEYER & ZELLER.

MDCCCLIII.

HENRICO GUTMANNO

ELEGANTISSIMO TACITI INTERPRETI

CONSTANTI LIBERTATIS AMATORI

OPTIMO AMICO

D. D.

Io. Caspar Orellius.

PRAEFATIO.

Cum Salustii libros quotannis interpretemur discipulis Gymnasii Turicensis, alii autem aliis exemplis, et interdum pessimis, non sine magno ipsorum incommodo magistrique taedio adhuc uti soliti sint, post ingratissimam decennii experientiam unum idemque cunctis commendare ac proponere satius tandem visum est. Quo in proposito exsequendo, sedulo inter se comparatis Gerlachii et Kritzii curis, de utriusque sententia singulis in locis iudicium integrum atque ab omni partium studio liberum exercere conatus sum, modo hunc, modo illum, aliquoties etiam alias codicum auctoritates ab ambobus reiectas ita secutus, quemadmodum sensus scriptoris eiusque consuetudo requirere videbatur. Rationes quidem perpetui huius delectus ideo addi non licuisse, quod libellus ipse parvus esse parvoque pretio vendi debebat, sane doleo. Quod autem praeterea addidi integram varietatem editionis Victorianae longe rarissimae (Florentiae. M. D. LXXVI. 8°.), idcirco feci, quod criticis denuo proponere volebam Salustii scripta, qualia ante Gruterum, vel si hunc respicere minus dignentur, ante Cortium huiusque egregios correctores, Basileensem alterum, alterum Erfurtensem, volgo lege-

bantur: ludorum vero magistris eadem varietas satis benignam, ut opinor, materiem de glossematis, interpolationibus omnisque generis corruptelis cum auditoribus disputandi praebebit.

Orationes quoque et epistolas ex Historiarum libris deperditis ab antiquissimo Codice Vaticano N. 3864. Sec. X. servatas, separatim olim a me editas, postea ex eodem Codice ceterorum omnium ἀρχετύπῳ in usum meum ab optimo amico, Theodoro Heyse, fideliter descriptas Velleioque meo additas, hic repetii, scriptura tantum mutata locisque nonnullis vel ex aliorum criticorum vel propria sententia correctis. Sed ex eodem Codice etiam Pseudosalustii ad Caesarem epistolas, declamatori alicui Frontoniano sive antiquario tribuendas, propter hanc unam rationem accurate exprimere placuit, quod vix aliam occasionem in posterum mihi oblatum iri putabam, qua hoc quamvis tenue ac falsum Latinae antiquitatis monumentum ea tandem forma ederem, quam unam veram atque integram esse duco. Haec igitur propria huius libelli dos est.

Quo facilius autem Salustii Catilina ubique comparari posset cum Ciceronis illa oratione *luculenta atque utili rei publicae,* quam unam a consule in patriae hostem *habitam atque postea scriptam editam* novit Salustius: — nam reliquas tres ex αἱρέσει quadam mihi cum aliquot amicis communi, ut subditicias equidem nihil moror: — eam quoque subiecta varietate

Klotziana, ex posteriore mea recensione exhibendam iudicavi.

Ut denique discipuli mei veluti quasdam tabulas historiae veteris rei publicae Romanae, ubi necesse esset, inspicere facilique opera consulere possent, antiquas epitomas T. Livii librorum CXL. adscriptis annis Varronianis repetendas curavi et, quoad eius fieri potuit, emendavi. Etenim egregiam Zumptii curam, quae sane aptior fuisset, repetere non licebat, neque novam eiusmodi elaborare nunc praesertim, cum negotiis sollicitudinibusque obrutus sim, vacabat. *)

Scribebam Turici Kal. Decembr. M. DCCC. XXXIX.

---

*) Paucissima quaedam hic de nonnullis Salustii locis subiungere lubet. Cat. 1. *alterum alterius auxilio eget]* Famosam illam interpolationem *veget*, quae ex pravo Palmerii iudicio ab aliquot editoribus recepta est, exhibet saltem Codex Rostochiensis, ut ex Langii commentario didici. Accedit Reisigii (*Lateinische Sprachwissenschaft. p.* 290.) coniectura *auget*, id est, „crescit atque vires acquirit." — Cap. 49. *in ulteriore Gallia G. Murena]* Est haec Cortii coniectura, a Gerlachio in Editione maiore, a Kritzio et a me recepta; libri *in citeriore*. Gerlachius in Ed. mai. Vol. I. p. 46. „*in ulteriori Gallia* Turic. 1. qui unus omnium adhuc collatorum hanc lectionem exhibere videtur." et in Comment. p. 119. — „pro *citeriore*, quod in omnibus fere libris est, *ulteriore* cum Turic. 1. scribendum." Similiter Kritzius: „*Ulteriore* Cortii coniecturae debetur, quam postea cod. Turic. 1. confirmavit: omnes enim codd., illo excepto, exhibent *citeriore*, quod falsum esse intelligitur ex Cic. or. pro L. Mur. C. 41, 90." In Ed. minore Gerlachius restituit *citeriore*, nulla e codd. varietate notata; et re vera cod. Turicensis a me denuo inspectus exhibet *inciteriori* (sic.) — Cap. 51. *Sed per deos immortalis, quamobrem in sententiam non addidisti, ut prius verberibus in eos animadverteretur? An quia lex Porcia vetat? - - An quia gravius est verberari quam necari? - - Sin, quia levius est: qui convenit,* cet.] Wex in libello scholastico, Suerini 1833. edito, speciosa argumentatione demonstratum ivit, delendum esse tertium illud *quia*, ut sit: *sin levius est;* ac sane, si libri sic

exhiberent, nemo v. *quia* inculcaret. Verum quid difficultatis habeat librorum lectio, exputare nequeo: nonne est enim: „si contra, quia levius est, nec quidquam rei publicae refert, in sententiam non addidisti, ut prius verberibus in coniuratos animadverteretur:" —? Et placet trium membrorum concinnitas: modo ne cum Kritzio aliisque interrogationis signum post vv. *Sin, quia levius est:* ponatur. — Iug. 43. *Metellus, ubi primum magistratum ingressus est, alia omnia sibi cum collega ratus, ad bellum, quod gesturus erat, animum intendit.]* Cortius: „Sensus est: *alia omnia*, quam bellum cum Iugurtha, se simul *cum collega* agere, nec adeo intensissima cura opus esse: at bellum in Numidia sibi soli curandum esse." Gerlachius: „Sensus est: alia omnia etiam collegae curae fore ratus, negligenter tractavit, sed in bello parando summam animi curam adhibuit." Kritzius vero Cortii interpretationem repetiit. Verum longe rectius explicarunt Rupertus et Wasse ex notissima illa formula Plin. Epp. 8, 14: *Qui haec sentitis in hanc partem, qui alia omnia, in illam partem ite, qua sentitis;* de qua primus accuratius egit Victorius in Curis tertiis ad Cic. Epp. ad. Fam. Florentiae 1558. p. 16. Etenim idem prorsus de Metello refert Salustius, quod de se dicit Caelius (in Cic. ad Fam.) 8, 9, 3: *Seorsus a collega puto mihi omnia paranda:* cum autem explicandum, ut illa, *dissentire*, *discrepare*, *distrahi cum aliquo*. Sensus igitur hic est: „ratus prorsus alia sibi agenda esse quam quae collega ageret: *(seine Aufgabe sei ganz eine andre als diejenige seines Collegen:)* quocirca nihil cum Silano communiter tractabat neque administrabat."

C. SALUSTI CRISPI

CATILINA.

1. Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant veluti pecora, quae natura prona atque ventri obedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est; animi imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est. Quo mihi rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam quaerere et, quoniam vita ipsa qua fruimur brevis est, memoriam nostri quam maxume longam efficere. Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est, virtus clara aeternaque habetur. Sed diu magnum inter mortalis certamen fuit, vine corporis an virtute animi res militaris magis procederet. Nam et prius quam incipias consulto, et ubi consulueris mature facto opus est. Ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget.

2. Igitur initio reges (nam in terris nomen imperi id primum fuit), divorsi pars ingenium, alii corpus

1. *Omnes* V. (et sic ubique). — 6. *dits* V. — 7. *rectius esse* V. — *ingenii* V. (et sic ubique). — 9. *maxime* V. (et sic ubique). — 18. *diversi* V. (et sic in h. v. atque similibus ubique).

exercebant; etiamtum vita hominum sine cupiditate agitabatur, sua quoique satis placebant. Postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses coepere urbis atque nationes subigere, lubidinem dominandi causam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare, tum demum periculo atque negotiis compertum est in bello plurimum ingenium posse. Quodsi regum atque imperatorum animi virtus in pace ita ut in bello valeret, aequabilius atque constantius sese res humanae haberent, neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres. Nam imperium facile his artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus inmutatur. Ita imperium semper ad optumum quemque a minus bono transfertur. Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales dediti ventri atque somno, indocti incultique vitam sicuti peregrinantes transiere; quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam mortemque iuxta aestumo, quoniam de utraque siletur. Verum enimvero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit. Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.

3. Pulchrum est bene facere rei publicae; etiam bene dicere haud absurdum est; vel pace vel bello clarum fieri licet; et qui fecere et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haudquaquam

---

2. *cuique* V. G. K. (ubique). — 4. *atque* seclusit G. — *libidinem* V. — 9. *uti* K. — 12. *iis* V. — 16. *Quae omnes* V. — 19. *transegere* V. — 22. *mihi vivere demum* V. — 23. Fort. *aliquoi*. OR.

par gloria sequitur scriptorem et actorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scribere; primum quod facta dictis exaequanda sunt, dehinc quia plerique, quae delicta reprehenderis, malivolentia et invidia dicta putant; ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit, supra ea veluti ficta pro falsis ducit. Sed ego adulescentulus initio sicuti plerique studio ad rem publicam latus sum, ibique mihi multa advorsa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur, insolens malarum artium, tamen inter tanta vitia inbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur: ac me, quom ab reliquorum malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eâdem qua ceteros famâ atque invidiâ vexabat.

4. Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit et mihi reliquam aetatem a re publica procul habendam decrevi, non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere; neque vero agrum colendo aut venando, servilibus officiis, intentum aetatem agere; sed a quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere; eo magis, quod mihi a spe, metu, partibus rei publicae animus liber erat. Igitur de Catilinae coniuratione quam verissume potero paucis absolvam: nam

---

1. *sequatur* V. — *auctorem* K. — 3. *sunt exaequanda* V. K. — 5. *et gloria* K. — 8. *a studio* V. — 9. *delatus* V. — *advorsa multa* K. — 11. *largitudo* V. — 14. *ab reliquis* V. K. Firmat *ab reliquorum* Claudius Sacerdos p. 23. — 15. *eadem, quae* V. *eademque quae* K. — 21. *intentam* V. — 25. *eoque* V.

id facinus in primis ego memorabile existumo sceleris atque periculi novitate. De quoius hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.

5. Lucius Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae, algoris, vigiliae, supra quam cuiquam credibile est. Animus audax, subdolus, varius, quoius rei lubet simulator ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus animus inmoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem Luci Sullae lubido maxuma invaserat rei publicae capiundae, neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quidquam pensi habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque his artibus auxerat, quas supra memoravi. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant. Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere ac paucis instituta maiorum domi militiaeque, quomodo rem publicam habuerint quantamque reliquerint, ut paullatim inmutata ex pulcherruma pessuma ac flagitiosissuma facta sit, disserere.

6. Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani, qui Aenea duce profugi sedibus incertis vagabantur, cumque his Aborigines,

1. *aestimo* V. — 2. *cuius* V. K. (et sic ubique). — 9. *vigiliae, algoris* K. — 11. *libet* V. *cuiuslibet rei* V. — 13. *loquentiae* Valerius Probus apud Gell. I. 15. — 26. *utque* V. — 27. *atque* V. — 30. *incertis sedibus* V.

genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Hi postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu est quam facile coaluerint. Sed postquam res eorum civibus, moribus, agris aucta, satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitumi bello temptare, pauci ex amicis auxilio esse; nam ceteri metu perculsi a periculis aberant. At Romani domi militiaeque intenti festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, patriam parentesque armis tegere. Post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant, magisque dandis quam accipiundis beneficiis amicitias parabant. Imperium legitumum, nomen imperi regium habebant; delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, rei publicae consultabant; hi vel aetate vel curae similitudine patres appellabantur. Post, ubi regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae rei publicae fuerat, in superbiam dominationemque convortit, inmutato more annua imperia binosque imperatores sibi fecere; eo modo minume posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.

7. Sed ea tempestate coepere se quisque magis extollere magisque ingenium in promptu habere. Nam regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est. Sed civitas incredibile memoratu est adepta libertate quantum brevi creverit; tanta cupido gloriae incesserat. Iam primum

3. *alii alio* V. — 19. *imperium regium* V. — 21. *se convertit* V. *[se] convortit* G. — 22. *binos* V.

iuventus, simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat, magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant. Igitur talibus viris non labos insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus; virtus omnia domuerat. Sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat: sic se quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat; eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant; laudis avidi, pecuniae liberales erant; gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possem, quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbis natura munitas pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret.

8. Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex lubidine [magis] quam ex vero celebrat obscuratque. Atheniensium res gestae, sicuti ego aestumo, satis amplae magnificaeque fuere, verum aliquanto minores tamen quam fama feruntur. Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum ea verbis potuere extollere praeclara ingenia. At populo Romano nunquam ea copia fuit, quia prudentissumus quisque maxume negotiosus erat; ingenium nemo sine corpore exercebat; optumus quisque facere quam dicere, sua ab aliis bene facta laudari quam ipse aliorum narrare malebat.

---

1. *per laboris usum* K. — 3. *in conviviis* V. — 4. *labor* V. — 7. om. *se* V. — 17. *magis quam* V. G. om. *magis* K. — 18. *existumo* V. K. — 19 *verumtamen a. m. quam* V. — 23. *verbis ea* V. *verbis eam* K. — 25. *nunquam copia scriptorum fuit* V. — 26. *negotiosus maxume* V. K. — 28. *benefacta* G

9. Igitur domi militiaeque boni mores colebantur, concordia maxuma, minuma avaritia erat, ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat. Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant, cives cum civibus de virtute certabant; in suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate seque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo, quod in bello saepius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius revocati proelio excesserant, quam qui signa relinquere aut pulsi loco cedere ausi erant; in pace vero, quod beneficiis quam metu imperium agitabant, et accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant.

10. Sed ubi labore atque iustitia res publica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Karthago, aemula imperi Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant, saevire fortuna ac miscere omnia coepit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, his otium, divitiae optandae aliis oneri miseriaeque fuere. Igitur primo pecuniae, deinde imperi cupido crevit; ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem ceterasque artis bonas subvortit; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestumare, magisque

4. *iras, sim.* V. — 6. *parci, amicis* V. *parci, in amicis* K. — 9. om. *ego* V. — 12. *proelio] bello* K. — 14. *b. magis q.* V. — 21. *duras* V. — 22. *iis* V. — 23. *alias* K. — 27. *docuit* V.

voltum quam ingenium bonum habere. Haec primo paullatim crescere, interdum vindicari; post, ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas inmutata, imperium ex iustissumo atque optumo crudele intolerandumque factum.

11. Sed primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat, quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium bonus et ignavos aeque sibi exoptant; sed ille vera via nititur, huic quia bonae artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit; ea quasi venenis malis inbuta corpus animumque virilem effeminat, semper infinita, insatiabilis est, neque copia neque inopia minuitur. Sed postquam L. Sulla, armis recepta re publica, bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere, neque modum neque modestiam victores habere, foeda crudeliaque in civibus facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem maiorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat; loca amoena, voluptaria facile in otio ferocis militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari, ea privatim et publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe secundae res sapientium animos fatigant; ne illi corruptis moribus victoriae temperarent.

12. Postquam divitiae honori esse coepere et eas

7. *virtuti* V. — 8. *bonus ignavus* K. (*ignavos*, *novos* cet. ex scriptura antiqua). — 10. *hic*, *quia* V. — 13. *et insatiabilis* V. — 18. *in civis* V. G. — 25. *ac* K. — 29. *nedum illi* V. K — 30. *coeperunt* V.

gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malivolentia duci coepit. Igitur ex divitiis iuventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere; rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere. Operae pretium est, quom domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, visere templa deorum, quae nostri maiores, religiosissumi mortales, fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant, neque victis quidquam praeter iniuriae licentiam eripiebant. At hi contra ignavissumi homines per summum scelus omnia ea sociis adimere, quae fortissumi viri victores reliquerant; proinde quasi iniuriam facere id demum esset imperio uti.

13. Nam quid ea memorem, quae nisi his qui videre nemini credibilia sunt, a privatis conpluribus subvorsos montis, maria constructa esse. Quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae; quippe quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant. Sed lubido stupri, ganeae ceterique cultus non minor incesserat; viri muliebria pati, mulieres pudicitiam in propatulo habere; vescendi causa terra marique omnia exquirere, dormire prius quam somni cupido esset, non famem aut sitim neque frigus neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu antecapere. Haec iuventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. Animus inbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat; eo profusius omnibus modis quaestui atque sumptui deditus erat.

---

2. *pro probro* V. — 14. *hostibus reliquerunt* V. *hostibus reliquerant* K. — 16. *iis* V. — 18. *constrata* V. — 19. (*habere honeste* Arusianus p. 216). — 22. *pati muliebria* V. K. — 27. *facinora maiora* V.

14. In tanta tamque corrupta civitate Catilina, id quod factu facillumum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum se tamquam stipatorum catervas habebat. Nam quicunque inpudicus, adulter, ganeo manu, ventre, pene bona patria laceraverat, quique alienum aes grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret, praeterea omnes undique parricidae, sacrilegi, convicti iudiciis aut pro factis iudicium timentes, ad hoc quos manus atque lingua periurio aut sanguine civili alebat, postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Catilinae proxumi familiaresque erant. Quodsi quis etiam a culpa vacuus in amicitiam eius inciderat, cotidiano usu atque inlecebris facile par similisque ceteris efficiebatur. Sed maxume adulescentium familiaritates adpetebat; eorum animi molles et aetate fluxi dolis haud difficulter capiebantur. Nam ut quoiusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari, postremo neque sumptui neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios fidosque sibi faceret. Scio fuisse nonnullos qui ita existumarent, iuventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse; sed ex aliis rebus magis quam quod quoiquam id compertum foret, haec fama valebat.

15. Iam primum adulescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestae, alia huiuscemodi contra ius fasque. Postremo captus amore Aureliae Orestillae, quoius praeter formam nihil unquam bonus laudavit, quod ea nubere illi dubitabat,

---

1. *In tanta itaque tamque c.* V. *In tanta itaque c.* K. — 2. *flagitiosorum atque facinorosorum* V. — 4. *ganeo, alea, manu* V. — 9. *civili sanguine* V. — 12. *vacuus a culpa* V. — 13. *amicitias* V. — 15. *horum* V. — 17. *uti cuiusque* K. — 23. *quam cuiquam* V. — 29. *laudavit bonus* V.

timens privignum adulta aetate, pro certo creditur necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quae quidem res mihi in primis videtur causa fuisse facinoris maturandi. Namque animus inpurus, dis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat; ita conscientia mentem excitam vastabat. Igitur colos exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus; prorsus in facie voltuque vecordia inerat.

16. Sed iuventutem, quam, ut supra diximus, inlexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis testes signatoresque falsos commodare; fidem, fortunas, pericula vilia habere, post, ubi eorum famam atque pudorem adtriverat, maiora alia imperabat; si causa peccandi in praesens minus suppetebat, nihilo minus insontis sicuti sontis circumvenire, iugulare; scilicet, ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. His amicis sociisque confisus Catilina, simul quod aes alienum per omnis terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriae veteris memores civile bellum exoptabant, opprimundae rei publicae consilium cepit. In Italia nullus exercitus; Gn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat; ipsi consulatum petenti magna spes; senatus nihil sane intentus; tutae tranquillaeque res omnes; sed ea prorsus opportuna Catilinae.

17. Igitur circiter Kalendas Iunias, L. Caesare et C. Figulo consulibus, primo singulos adpellare, hortari alios, alios temptare; opes suas, inparatam rem publi-

---

3. *fuisse causa* V. — 6. *conscientia scelerum* V. — 6. *color eius* V. — 10. *illexerat multis modis, mala* K. — 22. *exercitus erat* V. — *Cn.* V. K. — 23. *C.* V. K. — 24. *petendi* V.

cam, magna praemia coniurationis docere. Ubi satis explorata sunt quae voluit, in unum omnis convocat, quibus maxuma necessitudo et plurimum audaciae inerat. Eo convenere senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. et Servius Sullae, Servi filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bestia, Q. Curius; praeterea ex equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius; ad hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles. Erant praeterea complures paullo occultius consili huiusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur quam inopia aut aliqua necessitudo. Ceterum iuventus pleraque, sed maxume nobilium, Catilinae inceptis favebat; quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum quam pacem malebant. Fuere item ea tempestate qui crederent M. Licinium Crassum non ignarum eius consili fuisse; quia Gn. Pompeius invisus ipsi magnum exercitum ductabat, quoiusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere, simul confisum, si coniuratio valuisset, facile apud illos principem se fore.

18. Sed antea item coniuravere pauci contra rem publicam, in quibus Catilina fuit; de qua quam verissume potero, dicam. L. Tullo et M'. Lepido consulibus, P. Autronius et P. Sulla designati consules, legibus ambitus interrogati poenas dederant. Post paullo Catilina, pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat consulatum petere, quod intra legitumos dies profiteri nequiverat.

---

11. *huiuscemodi* V. — 13. *alia* V. K. — 19. *atque cuiusvis* V. — 21. *se principem* V. — 24. *de quo* K. — 25. om. *et* V. K. — *M'.]* V. cum Fastis. *M.* K. G. — 29. *nequiverit* V. G.

Erat eodem tempore Gn. Piso, adulescens nobilis, summae audaciae, egens, factiosus, quem ad perturbandam rem publicam inopia atque mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina et Autronius circiter Nonas Decembris consilio communicato parabant in Capitolio Kalendis Ianuariis L. Cottam et L. Torquatum consules interficere, ipsi fascibus conreptis Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere. Ea re cognita, rursus in Nonas Februarias consilium caedis transtulerant. Iam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur. Quodni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die post conditam urbem Romam pessumum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant, ea res consilium diremit.

19. Postea Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est, adnitente Crasso, quod eum infestum inimicum Gn. Pompeio cognoverat. Neque tamen senatus provinciam invitus dederat; quippe foedum hominem a re publica procul esse volebat; simul quia boni conplures praesidium in eo putabant, et iam tum potentia Pompei formidolosa erat. Sed is Piso in provincia ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est. Sunt qui ita dicunt, imperia eius iniusta, superba, crudelia barbaros nequivisse pati; alii autem equites illos Gn. Pompei veteres fidosque clientis voluntate eius Pisonem adgressos; nunquam Hispanos praeterea tale facinus fecisse, sed imperia

6. *L. Torquatum et L. Cottam* V. (contra Fastos consulares). — 7. *correptis fascibus* V. — 11. *Quod nisi* V. — 13. *Romanam* K. — 14. *res frustra* V. — 17. *M. Crasso* V. — 20. *et simul quod* V. — 22. *Cn. Pompei* V. K. — *in provincia iter faciens* cet. V. — 25. *nequisse* V. — 27. *ex voluntate* V. — 28. *fecisse, saepe imperia* V.

saeva multa ante perpessos. Nos eam rem in medio relinquemus. De superiore coniuratione satis dictum.

20. Catilina, ubi eos, quos paullo ante memoravi, convenisse videt, tametsi cum singulis multa saepe egerat, tamen in rem fore credens universos adpellare et cohortari, in abditam partem aedium secedit, atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem huiuscemodi habuit. „Ni virtus fidesque vostra spectata mihi forent, nequidquam opportuna res cecidisset; spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent. Neque ego per ignaviam aut vana ingenia incerta pro certis captarem. Sed quia multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortis fidosque mihi, eo animus ausus est maxumum atque pulcherrumum facinus incipere, simul quia vobis eadem quae mihi bona malaque esse intellexi; nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. Sed ego quae mente agitavi omnes iam antea divorsi audistis. Ceterum mihi in dies magis animus accenditur, quom considero, quae condicio vitae futura sit, nisi nosmet ipsi vindicamus in libertatem. Nam postquam res publica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit, semper illis reges, tetrarchae vectigales esse, populi, nationes stipendia pendere; ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles volgus fuimus sine gratia, sine auctoritate, iis obnoxii, quibus, si res publica valeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiae apud illos sunt, aut ubi illi volunt; nobis reliquere pericula, repulsas, iudicia,

1. *antea* V. K. — 2. *relinquimus* V. — *superiori* V. — *est dictum* V. — 6. *secessit* V. — 8. *Nisi* V. — *satis spectata m. foret* V. — 9. *accidisset* V. — 10. *dominatioque* V. — 11. *ignava* auctore Cortio K. — 13. *est ausus* V. — 14. *quia] quod* V. — 20. *ipsos* V. — *vindicemus* V. — 23. *boni atque strenui* V. — 25. *his* K. — 26. *praevaleret* V. — 28. *repulsas, pericula* V.

egestatem. Quae quousque tandem patiemini fortissumi viri? Nonne emori per virtutem praestat quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enimvero pro deum atque hominum fidem victoria in manu nobis est, viget aetas, animus valet; contra illis annis atque divitiis omnia consenuerunt. Tantummodo incepto opus est; cetera res expediet. Etenim quis mortalium, quoi virile ingenium est, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant in exstruendo mari et montibus coaequandis, nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquam ullum esse? Quom tabulas, signa, toreumata emunt, nova diruunt, alia aedificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt vexant, tamen summa lubidine divitias [suas] vincere nequeunt. At nobis est domi inopia, foris aes alienum, mala res, spes multo asperior; denique quid reliqui habemus praeter miseram animam? Quin igitur expergiscimini? En illa, illa, quam saepe optastis, libertas, praeterea divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt. Fortuna omnia ea victoribus praemia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica magis quam oratio mea vos hortentur. Vel imperatore vel milite me utimini; neque animus neque corpus a vobis aberit. Haec ipsa, ut spero, vobiscum una consul agam, nisi forte me animus fallit, et vos servire magis quam imperare parati estis.

21. Postquam accepere ea homines, quibus mala abunde omnia erant, sed neque res neque spes bona

7. *consenuere* V. — 9. *ingenium, tolerare* G. *ingenium inest, t.* K. — 12. *continuare domos* V. — 16. om. *suas* V. K. — 22. om. *ea* V. — 24. *hortantur* G. — *utemini* G. — 26. *animus fallit me* V. — 29. *omnia abunde* V. — om. *sed* V.

ulla, tametsi illis quieta movere magna merces videbatur, tamen postulavere plerique, uti proponeret, quae condicio belli foret, quae praemia armis peterent, quid ubique opis aut spei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletium, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia, quae bellum atque lubido victorum fert. Praeterea esse in Hispania citeriore Pisonem, in Mauretania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, consili sui participes; petere consulatum G. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem et familiarem et omnibus necessitudinibus circumventum; cum eo se consulem initium agundi facturum. Ad hoc maledictis increpat omnis bonos, suorum unum quemque nominans laudare; admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suae, compluris periculi aut ignominiae, multos victoriae Sullanae, quibus ea praedae fuerat. Postquam omnium animos alacris videt, cohortatus, ut petitionem suam curae haberent, conventum dimisit.

22. Fuere ea tempestate qui dicerent, Catilinam, oratione habita, quom ad iusiurandum popularis sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse; inde quom post exsecrationem omnes degustavissent, sicuti in sollemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum, atque eo [dictitare] fecisse, quo inter se magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conscii. Nonnulli ficta et haec et multa praeterea existumabant ab iis, qui Ciceronis invidiam, quae postea orta est, leniri credebant atrocitate

2. *postulare* K. — 8. *Mauritania* V. — *P. Sitium* V. — 12. *cum eo consule* V. — 13. *increpabat* V. — 14. *laudabat* V. — 21. *adiceret* G. — 25. *dictitare* sine uncis K. G. *dictitant* V. (Codd. aliq. *dictam rem, dictas res* cet.) — 26. *conscius* V. — om. *et* ante v. *haec* V. — 27. *existimabant esse* V. — *iis]* V. *his* K. G.

sceleris eorum, qui poenas dederant. Nobis ea res pro magnitudine parum comperta est.

23. Sed in ea coniuratione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus, quem censores senatu probri gratia moverant. Huic homini non minor vanitas inerat quam audacia; neque reticere, quae audierat, neque suamet ipse scelera occultare, prorsus neque dicere neque facere quidquam pensi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo; quoi quom minus gratus esset, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians maria montisque polliceri coepit et minari interdum ferro, ni sibi obnoxia foret, postremo ferocius agitare quam solitus erat. At Fulvia, insolentiae Curi causa cognita, tale periculum rei publicae haud occultum habuit, sed sublato auctore de Catilinae coniuratione quae quoque modo audierat compluribus narravit. Ea res in primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque nobilitas invidia aestuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si eum quamvis egregius homo novos adeptus foret. Sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia post fuere.

24. Igitur comitiis habitis consules declarantur M. Tullius et G. Antonius, quod factum primo popularis coniurationis concusserat. Neque tamen Catilinae furor minuebatur, sed in dies plura agitare, arma per Italiam locis opportunis parare, pecuniam sua aut ami-

---

3. (*conventione* Cod. Einsied.) — 6. *quam audacia inerat* V. — 7. *sua* V. — 12. om. *et* K. — 13. *nisi obnoxia* K. — 14. *erat solitus* V. — *Fulvia per insolentiam* V. — 16. *coniuratione, quo modo* V. — 20. *credebat* V. — 21. *novus* V. K. — 22. *invidiam atque superbiam postposuere* V. — 28. *opportunis locis* V.

corum fide sumptam mutuam Faesulas ad Manlium quendam portare, qui postea princeps fuit belli faciundi. Ea tempestate plurimos quoiusque generis homines adscivisse sibi dicitur, mulieres etiam aliquot, quae primo ingentis sumptus stupro corporis toleraverant, post ubi aetas tantummodo quaestui neque luxuriae modum fecerat, aes alienum grande conflaverant. Per eas se Catilina credebat posse servitia urbana sollicitare, urbem incendere, viros earum vel adiungere sibi vel interficere.

25. Sed in his erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora conmiserat. Haec mulier genere atque forma, praeterea viro, liberis satis fortunata fuit; litteris Graecis et Latinis docta, psallere, saltare elegantius, quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. Sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit; pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneres; lubidine sic accensa, ut saepius peteret viros quam peteretur. Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscia fuerat, luxuria atque inopia praeceps abierat. Verum ingenium eius haud absurdum; posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.

26. His rebus comparatis Catilina nihilo minus in

---

1. *mutuo* V. — 4. om. *sibi* K. — 8. om. *Catilina* V. — 13. *liberis]* Fronto Ed. Rom. p. 165. V. *atque liberis* K. *[atque] liberis* G. — 14. *atque Latinis* K. — *psallere, saltare]* Fronto. Cortius. *psallere et saltare* V. G. K. (Verebar, ne in his Excerptis Salustianis Maius compendii causa usus esset Editione Cortiana; sed hac suspicione eum absolvi didici ex Cap. 31., ubi *tendere* ex Frontonis Codice exhibet pro Cortii *tollere*). — 15. *probae mulieri* V. — 16. om. *sunt* Fronto. Cortius. — *semper cariora* V. — 17. *fuere* V.

proxumum annum consulatum petebat, sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. Neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiae deerant. Namque a principio consulatus sui multa pollicendo per Fulviam effecerat, ut Q. Curius, de quo paullo ante memoravi, consilia Catilinae sibi proderet. Ad hoc collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat, ne contra rem publicam sentiret; circum se praesidia amicorum atque clientium occulte habebat. Postquam dies comitiorum venit, et Catilinae neque petitio neque insidiae, quas consuli in Campo fecerat, prospere cessere, constituit bellum facere et extrema omnia experiri, quoniam quae occulte temptaverat aspera foedaque evenerant.

27. Igitur G. Manlium Faesulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quendam Camertem in agrum Picenum, G. Iulium in Apuliam dimisit; praeterea alium alio, quem ubique opportunum sibi fore credebat. Interea Romae multa simul moliri, consuli insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere, ipse cum telo esse, item alios iubere, hortari, uti semper intenti paratique essent, dies noctisque festinare, vigilare, neque insomniis neque labore fatigari. Postremo ubi multa agitanti nihil procedit, rursus intempesta nocte coniurationis principes convocat per M. Porcium Laecam, ibique multa de ignavia eorum questus, docet se Manlium praemisisse ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat, item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent, seque

---

9. *propulerat* V. — 12. Vv. *in Campo* seclusit G. — 13. *facere bellum* V. — 18. *misit* V. — 20. om. *simul* V. — 24. *in somnis* V.

ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset; eum suis consiliis multum obficere.

28. Igitur perterritis ac dubitantibus ceteris, G. Cornelius eques Romanus operam suam pollicitus, et cum eo L. Varguntelus senator constituere ea nocte paullo post cum armatis hominibus sicuti salutatum introire ad Ciceronem ac de inproviso domi suae inparatum confodere. Curius ubi intellegit, quantum periculum consuli inpendeat, propere per Fulviam Ciceroni dolum, qui parabatur, enuntiat. Ita illi ianua prohibiti tantum facinus frustra susceperant. Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare, egestate simul ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam, quod Sullae dominatione agros bonaque omnia amiserat, praeterea latrones quoiusque generis, quorum in ea regione magna copia erat, nonnullos ex Sullanis colonis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.

29. Ea quom Ciceroni nuntiarentur, ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque exercitus Manli quantus aut quo consilio foret satis compertum habebat, rem ad senatum refert, iam antea volgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit, darent operam consules, ne quid res publica detrimenti caperet. Ea potestas per senatum more Romano magistratui maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios atque civis, domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere; aliter sine populi iussu nulli earum rerum consuli ius est.

---

21. *compertum satis* V. — 24. *ut darent* V. — 29. *nullius* Cod. Einsied. *nullae* - - *consulibus ius* Hahnius.

30. Post paucos dies L. Saenius senator in senatu litteras recitavit, quas Faesulis adlatas sibi dicebat, in quibus scriptum erat, G. Manlium arma cepisse cum magna multitudine ante diem VI. Kalendas Novembris. Simul, id quod in tali re solet, alii portenta atque prodigia nuntiabant, alii conventus fieri, arma portari, Capuae atque in Apulia servile bellum moveri. Igitur senati decreto Q. Marcius Rex Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque ea loca missi; hi utrique ad urbem imperatores erant, inpediti ne triumpharent calumnia paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat. Sed praetores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum; hisque permissum, uti pro tempore atque periculo exercitum compararent. Ad hoc, si quis indicavisset de coniuratione, quae contra rem publicam facta erat, praemium servo libertatem et sestertia centum, libero inpunitatem eius rei et sestertia ducenta; itemque decrevere, uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribuerentur pro quoiusque opibus, Romae per totam urbem vigiliae haberentur, iisque minores magistratus praeessent.

31. Quibus rebus permota civitas atque inmutata urbis facies erat; ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit; festinare, trepidare, neque loco neque homini quoiquam satis credere, neque bellum gerere, neque pacem habere, suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus rei publicae magnitudine belli timor insolitus

1. *Senius* V. — 9. om. *ea* K. — *namque utrique* V. — 11. *et inhonesta* V. — 16. *praemium decrevere servo* K. — 17. *C. HS.* V. — 18. *HS. CC.* V. *sestertiorum ducenta milia* G. — 21. *eisque* V. *hisque* K. — 26. *nec homini* K. — 29. *pro rei publicae* V.

incesserat, adflictare sese, manus supplices ad caelum tendere, miserari parvos liberos, rogitare, omnia pavere, superbia atque deliciis omissis sibi patriaeque diffidere. At Catilinae crudelis animus eadem illa movebat, tametsi praesidia parabantur et ipse lege Plautia interrogatus erat ab L. Paullo. Postremo dissimulandi causa aut sui expurgandi, sicuti iurgio lacessitus foret, in senatum venit. Tum M. Tullius consul, sive praesentiam eius timens sive ira conmotus, orationem habuit luculentam atque utilem rei publicae, quam postea scriptam edidit. Sed ubi ille adsedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso voltu, voce supplici postulare, «Patres conscripti ne quid de se temere crederent; ea familia ortum, ita se ab adulescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet; ne existumarent, sibi, patricio homini, quoius ipsius atque maiorum plurima beneficia in plebem Romanam essent, perdita re publica opus esse, quom eam servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romae." Ad hoc maledicta alia quom adderet, obstrepere omnes, hostem [atque] parricidam vocare. Tum ille furibundus: «Quoniam quidem circumventus, inquit, ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam."

32. Dein se ex curia domum proripuit; ibi multa ipse secum volvens, quod neque insidiae consuli procedebant et ab incendio intellegebat urbem vigiliis muni-

2. *tollere* Cortius. Sed *tendere* firmat Fronto Ed. Rom. p. 165. — 6. *simulandi* V. — 7. *et ut sui* K. — 9. om. *eius* V. — 13. *postulare a patribus coepit, ne quid* V. — 14. om. *se* ante *ab* K. — 16. *aestumarent* G. — 17. *in populum Romanum* auctore Grutero K. — 20. *Ad haec* V. K. — *strepere* V. — 21. *atque* sine uncis V. K. — *furibundus inquit* V. — 22. om. h. l. *inquit* V. — 23. *ruina vestra* V. — 25. om. *ipse* V. *secum ipse* K.

tam, optumum factu credens exercitum augere ac prius quam legiones scriberentur, antecapere quae bello usui forent, nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est. Sed Cethego atque Lentulo ceterisque, quorum cognoverat promptam audaciam, mandat, quibus rebus possent opes factionis confirment, insidias consuli maturent, caedem, incendia aliaque belli facinora parent; sese propediem cum magnu exercito ad urbem accessurum. Dum haec Romae geruntur, G. Manlius ex suo numero legatos ad Marcium Regem mittit cum mandatis huiuscemodi:

33. «Deos hominesque testamur, imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab iniuria tuta forent, qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate feneratorum plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus; neque quoiquam nostrum licuit more maiorum lege uti, neque amisso patrimonio liberum corpus habere, tanta saevitia feneratorum atque praetoris fuit. Saepe maiores vostrum miseriti plebis Romanae, decretis suis inopiae eius opitulati sunt; ac novissume memoria nostra, propter magnitudinem aeris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum aere solutum est. Saepe ipsa plebes, aut dominandi studio permota, aut superbia magistratuum, armata a patribus secessit. At nos non imperium neque divitias petimus, quarum rerum causa bella atque certamina omnia inter mortalis sunt, sed libertatem, quam nemo bonus nisi cum anima

1. *factum* K. — 2. *multa praevenire* V. *[multa] antecapere* G. — 6. *possunt* Cod. Einsied. Cfr. Iug. 88: *tametsi ipsum tenet . . se . . missurum*. Sed cfr. Cat. 34. initio. — 10. *ad Q. Marcium Regem* V. — 16. *patria* V. — 20. *maiores nostri* V. — *miserti* V. — 21. om. *eius* K. — 23. *argentum communi aere* V. — 24. *plebs* V.

simul amittit. Te atque senatum obtestamur, consulatis miseris civibus, legis praesidium, quod iniquitas praetoris eripuit, restituatis; neve nobis eam necessitudinem inponatis, ut quaeramus, quonam modo maxume ulti sanguinem nostrum pereamus."

34. Ad haec Q. Marcius respondit: «Si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur; ea mansuetudine atque misericordia senatum populumque Romanum semper fuisse, ut nemo unquam ab eo frustra auxilium petiverit." At Catilina ex itinere plerisque consularibus, praeterea optumo quoique, litteras mittit: «Se falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunae cedere, Massiliam in exilium proficisci: non quo sibi tanti sceleris conscius esset, sed uti res publica quieta foret, neve ex sua contentione seditio oriretur." Ab his longe divorsas litteras Q. Catulus in senatu recitavit, quas sibi nomine Catilinae redditas dicebat; earum exemplum infra scriptum est:

35. «L. Catilina Q. Catulo. Egregia tua fides re cognita, grata mihi, in magnis meis periculis fiduciam commendationi meae tribuit. Quamobrem defensionem in novo consilio non statui parare, satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi, quam mediusfidius veram licet cognoscas. Iniuriis contumeliisque concitatus, quod fructu laboris industriaeque meae privatus statum dignitatis non obtinebam, publicam miserorum causam pro mea consuetudine suscepi, non

1. *ut consulatis* V. — 3. *eam nobis* K. — 6. *Ad hoc* V. — 10. *petierit* V. — 15. *esset conscius* V. — 21. *grata mihi]* Libri. V. *gratam* auctore Cortio K. G. — *magnis in* V. G. — 25. *medius fidius* V. *me Dius fidius* G. — *licet veram* V. — 27. *statum]* Libri. V. G. *gradum* Kritzius. — 28. *non quod aes* V.

quin aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem, quom et alienis nominibus liberalitas Orestillae suis filiaeque copiis persolveret; sed quod non dignos homines honore honestatos videbam, meque falsa suspicione alienatum esse sentiebam. Hoc nomine satis honestas pro meo casu spes reliquae dignitatis conservandae sum secutus. Plura quom scribere vellem, nuntiatum est vim mihi parari. Nunc Orestillam commendo tuaeque fidei trado: eam ab iniuria defendas per liberos tuos rogatus. Haveto."

36. Sed ipse paucos dies commoratus apud G. Flaminium in agro Arretino, dum vicinitatem antea sollicitatam armis exornat, cum fascibus atque aliis imperi insignibus in castra ad Manlium contendit. Haec ubi Romae comperta sunt, senatus Catilinam et Manlium hostis iudicat; ceterae multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere praeter rerum capitalium condemnatis. Praeterea decernit, uti consules delectum habeant, Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet, Cicero urbi praesidio sit. Ea tempestate mihi imperium populi Romani multo maxume miserabile visum est, quoi quom ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent, domi otium atque divitiae, quae prima mortales putant, adfluerent, fuere tamen cives, qui seque remque publicam obstinatis animis perditum irent. Namque duobus senati decretis ex tanta multitudine neque praemio inductus coniurationem patefecerat neque ex castris Catilinae quisquam

---

1. *ex poss. sumptum* V. — 2. *non possem* V. — 7. *vellem scribere* V. — 8. om. *mihi* V. — *tibi commendo* V. — 10. *aveto* V. — 12. *Reatino* V. — *dum iuventutem* V. — 17. *liceret sine fraude* V. — 18. (*condempnatos* Cod. Paris. superscr. *is*).

omnium discesserat; tanta vis morbi uti tabes plerosque civium animos invaserat.

37. Neque solum illis aliena mens erat, qui conscii coniurationis fuerant, sed omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinae incepta probabat. Id adeo more suo videbatur facere. Nam semper in civitate, quibus opes nullae sunt, bonis invident, malos extollunt, vetera odere, nova exoptant, odio suarum rerum mutari omnia student, turba atque seditionibus sine cura aluntur; quoniam egestas facile habetur sine damno. Sed urbana plebes, ea vero praeceps ierat multis de causis. Primum omnium, qui ubique probro atque petulantia maxume praestabant, item alii per dedecora patrimoniis amissis, postremo omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, ii Romam sicut in sentinam confluxerant. Deinde multi memores Sullanae victoriae, quod ex gregariis militibus alios senatores videbant, alios ita divites, ut regio victu atque cultu aetatem agerent, sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat. Praeterea iuventus, quae in agris manuum mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita urbanum otium ingrato labori praetulerat; eos atque alios omnis malum publicum alebat. Quo minus mirandum est homines egentis, malis moribus, maxuma spe, rei publicae iuxta ac sibi consuluisse. Praeterea quorum victoria Sullae parentes proscripti, bona erepta, ius libertatis inminutum erat, haud sane alio animo belli eventum exspectabant. Ad hoc quicunque aliarum atque

1. *atque uti* V. — 11. *ierat] erat* G. *plebs non tantum in istis vero praeceps erat* V. — 12. *petulantia praestabant, maxime laborabant, item* V. — 15. *hi* V. K. — *sicuti* V. K. — *Dein* V. — 17. *uti* K. — 26. *proscripti parentes* V. — 27. *fuerat* V.

senatus partium erant, conturbari rem publicam quam minus valere ipsi malebant. Id adeo malum multos post annos in civitatem revorterat.

38. Nam postquam Gn. Pompeio et M. Crasso consulibus tribunicia potestas restituta est, homines adulescentes summam potestatem nacti, quibus aetas animusque ferox erat, coepere senatum criminando plebem exagitare, dein largiundo atque pollicitando magis incendere; ita ipsi clari potentesque fieri. Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas senatus specie pro sua magnitudine. Namque uti paucis verum absolvam, post illa tempora quicunque rem publicam agitavere, honestis nominibus, alii sicuti populi iura defenderent, pars quo senatus auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant; neque illis modestia neque modus contentionis erat; utrique victoriam crudeliter exercebant.

39. Sed postquam Gn. Pompeius ad bellum maritumum atque Mithridaticum missus est, plebis opes inminutae, paucorum potentia crevit. Hi magistratus, provincias, aliaque omnia tenere, ipsi innoxii, florentes, sine metu aetatem agere, ceteros iudiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent. Sed ubi primum dubiis rebus novandi spes oblata est, vetus certamen animos eorum arrexit. Quodsi primo proelio Catilina superior aut aequa manu discessisset, profecto magna clades atque calamitas rem publicam oppressisset; neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti

---

1. *partium atque senatus* V. *senati* K. — 2. om. *adeo* V. — 8. *pollicendo* V. — 10. *senati* K. — 13. *iura populi* V. — 14. *senati* K. — 16. *certabat* V. — 21. *atque alia omnia* V. — 22. *ceterosque* V. *ceteros [que]* G. — 23. *quo]* Bas. Einsied. Leid. Turic. V. *qui* K. coni. *quod* G. — 24. *novandis* V.

licuisset, quin defèssis et exsanguibus qui plus posset imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen extra coniurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti sunt; in his erat A. Fulvius, senatoris filius, quem retractum ex itinere parens necari iussit. Isdem temporibus Romae Lentulus, sicuti Catilina praeceperat, quoscunque moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebat,. aut per se aut per alios sollicitabat, neque solum civis, sed quoiusque modi genus hominum, quod modo bello usui foret.

40. Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat eosque, si possit, inpellat ad societatem belli, existumans publice privatimque aere alieno oppressos, praeterea, quod natura gens Gallica bellicosa esset, facile eos ad tale consilium adduci posse. Umbrenus, quod in Gallia negotiatus erat, plerisque principibus civitatium notus erat atque eos noverat; itaque sine mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percontatus pauca de statu civitatis, et quasi dolens eius casum, requirere coepit, quem exitum tantis malis sperarent. Postquam illos videt queri de avaritia magistratuum, accusare senatum, quod in eo auxili nihil esset, miseriis suis remedium mortem exspectare: «At ego, inquit, vobis, si modo viri esse voltis, rationem ostendam, qua tanta ista mala effugiatis." Haec ubi dixit, Allobroges in maxumam spem adducti Umbrenum orare, ut sui misereretur; nihil tam asperum neque tam difficile esse, quod non cupidissume facturi

---

4. om. *A.* V. — 12. *posset* V. — 13. om. *privatimque* V. — 16. *quod] qui* V. — 17. *civitatum* V. — 19. *percunctatus* V. G. — 22. *nihil auxilii* V. — 23. *suis miseriis* V. — *expectare mortem* V. — 24. *ostendam vobis rationem, si* V. — 25. *mala ista* V. — 27. *uti* K — 28. *tam facile* V.

essent, dum ea res civitatem aere alieno liberaret. Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat neque aliena consili propter Semproniam; nam tum Brutus ab Roma aberat. Praeterea Gabinium accersit, quo maior auctoritas sermoni inesset. Eo praesente coniurationem aperit, nominat socios, praeterea multos quoiusque generis innoxios, quo legatis animus amplior esset; deinde eos pollicitos operam suam domum dimittit.

41. Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consili caperent. In altera parte erat aes alienum, studium belli, magna merces in spe victoriae, at in altera maiores opes, tuta consilia, pro incerta spe certa praemia. Haec illis volventibus, tandem vicit fortuna rei publicae. Itaque Q. Fabio Sangae, quoius patrocinio civitas plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero, per Sangam consilio cognito, legatis praecepit, ut studium coniurationis vehementer simulent, ceteros adeant, bene polliceantur, dentque operam, uti eos quam maxume manifestos habeant.

42. Isdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia motus erat. Namque illi, quos ante Catilina dimiserat, inconsulte ac veluti per dementiam cuncta simul agebant; nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia, plus timoris quam periculi effecerant. Ex eo numero conpluris Q. Metellus Celer praetor ex senati consulto, causa cognita, in vincula coniecerat; item in ulteriore Gallia G. Murena, qui ei provinciae legatus praeerat.

---

2. *Ille deinde eos* V. — 4. *ab Roma]* V. K. firmante Probo in Arte min. 700 et 702. om. *ab* G. — 9. *diu incertum* V. — 10. om. *erat* K. — 22. *erant* V. — *antea* V. K. — 28. *ulteriore]* auctore Cortio K. *citeriore* Libri. V. G. — *Muraena* G.

43. At Romae Lentulus cum ceteris, qui principes coniurationis erant, paratis, ut videbatur, magnis copiis, constituerant, uti quom Catilina in agrum Faesulanum cum exercitu venisset, L. Bestia tribunus plebis contione habita quereretur de actionibus Ciceronis, bellique gravissumi invidiam optumo consuli inponeret; eo signo proxuma nocte cetera multitudo coniurationis suum quisque negotium exsequeretur. Sed ea divisa hoc modo dicebantur: Statilius et Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad consulem ceterosque, quibus insidiae parabantur, fieret; Cethegus Ciceronis ianuam obsideret eumque vi adgrederetur, alius autem alium; sed filii familiarum, quorum ex nobilitate maxuma pars erat, parentes interficerent, simul caede et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent. Inter haec parata atque decreta Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum; illos dubitando et dies prolatando magnas opportunitates conrumpere, facto, non consulto, in tali periculo opus esse, seque, si pauci adiuvarent, languentibus aliis, inpetum in curiam facturum. Natura ferox, vehemens, manu promptus erat; maxumum bonum in celeritate putabat.

44. Sed Allobroges ex praecepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt; ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant iusiurandum, quod signatum ad civis perferant; aliter haud facile eos ad tantum negotium inpelli posse. Ceteri nihil suspicantes dant; Cassius semet eo brevi venturum pollicetur ac paullo ante legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus cum his

2. *videbantur* K. — 3. *constituerat* V. — 5. *conquereretur* V. — 29. *venturum brevi* V.

T. Volturcium quendam Crotoniensem mittit, ut Allobroges prius quam domum pergerent, cum Catilina data atque accepta fide societatem confirmarent. Ipse Volturcio litteras ad Catilinam dat, quarum exemplum infra scriptum est: «Qui sim ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites, in quanta calamitate sis, et memineris te virum esse; consideres, quid tuae rationes postulent; auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis." Ad hoc mandata verbis dat: «Quom ab senatu hostis iudicatus sit, quo consilio servitia repudiet? in urbe parata esse, quae iusserit; ne cunctetur ipse propius accedere."

45. His rebus ita actis, constituta nocte, qua proficiscerentur, Cicero per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco et G. Pomptinio praetoribus imperat, ut in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant; rem omnem aperit, quoius gratia mittebantur, cetera, uti facto opus sit, ita agant, permittit. Illi, homines militares, sine tumultu praesidiis conlocatis, sicuti praeceptum erat, occulte pontem obsidunt. Postquam ad id loci legati cum Volturcio venerunt et simul utrimque clamor exortus est, Galli, cito cognito consilio, sine mora praetoribus se tradunt. Volturcius primo, cohortatus ceteros, gladio se a multitudine defendit, deinde ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomptinium obtestatus, quod ei notus erat, postremo timidus ac vitae diffidens velut hostibus sese praetoribus dedit.

46. Quibus rebus confectis, omnia propere per nuntios consuli declarantur. At illum ingens cura atque

1. *Vulturtium* V. — *uti* K. — 3. *et accepta* K. — *firmarent* V. — 5. *Quis* K. — 15. *Pomptinio]* V. *Pomptino* K. G. — 18. *permittit illis, Homines* V. — 20. *obsident* V. — 21. *venere* V. — 27. *veluti* V.

laetitia simul occupavere; nam laetabatur intellegens coniuratione patefacta civitatem periculis ereptam esse, porro autem anxius erat, dubitans, in maxumo scelere tantis civibus deprehensis, quid facto opus esset; poenam illorum sibi oneri, inpunitatem perdundae rei publicae fore credebat. Igitur confirmato animo vocari ad sese iubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, item quendam Caeparium Tarracinensem, qui in Apuliam ad concitanda servitia proficisci parabat. Ceteri sine mora veniunt: Caeparius paullo ante domo egressus cognito indicio [ex urbe] profugerat. Consul Lentulum, quod praetor erat, ipse manu tenens in senatum perducit; reliquos cum custodibus in aedem Concordiae venire iubet. Eo senatum advocat, magnaque frequentia eius ordinis, Volturcium cum legatis introducit, Flaccum praetorem scrinium cum litteris, quas a legatis acceperat, eodem adferre iubet.

47. Volturcius interrogatus de itinere, de litteris, postremo quid aut qua de causa consili habuisset, primo fingere alia, dissimulare de coniuratione; post, ubi fide publica dicere iussus est, omnia, uti gesta erant, aperit docetque se paucis ante diebus a Gabinio et Caepario socium adscitum nihil amplius scire quam legatos; tantummodo audire solitum ex Gabinio, P. Autronium, Ser. Sullam, L. Vargunteium, multos praeterea in ea coniuratione esse. Eadem Galli fatentur ac Lentulum dissimulantem coarguunt praeter litteras sermonibus, quos ille habere solitus erat: ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam

8. *itemque* V. K. — *Coeparium quendam Terracinensem* K. *Ceparium Terracinensem* (om. *quendam*) V. — 11. *ex urbe* sine uncis V. K. — 12. [*in senatum*] K. — 18. *et de litteris* V. — 23. *se scire* V. — 26. *fatentur. At* V.

antea, se tertium esse, quoi fatum foret urbis potiri; praeterea ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem saepe ex prodigiis haruspices respondissent bello civili cruentum fore. Igitur perlectis litteris, quom prius omnes signa sua cognovissent, senatus decernit, uti abdicato magistratu Lentulus, itemque ceteri in liberis custodiis habeantur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum aedilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius G. Caesari, Gabinius M. Crasso, Caeparius (nam is paullo ante ex fuga retractus erat) Gn. Terentio senatori traduntur.

48. Interea plebes, coniuratione patefacta, quae primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad caelum tollere; veluti ex servitute erepta gaudium atque laetitiam agitabat. Namque alia belli facinora praedae magis quam detrimento fore, incendium vero crudele, inmoderatum ac sibi maxume calamitosum putabat, quippe quoi omnes copiae in usu cotidiano et cultu corporis erant. Post eum diem quidam L. Tarquinius ad senatum adductus [erat], quem ad Catilinam proficiscentem ex itinere retractum aiebant. Is, quom se diceret indicaturum de coniuratione, si fides publica data esset, iussus a consule quae sciret edicere, eadem fere quae Volturcius, de paratis incendiis, de caede bonorum, de itinere hostium senatum docet; praeterea se missum a M. Crasso, qui Catilinae nuntiaret, ne eum Lentulus et Cethegus aliique ex coniuratione deprehensi terrerent, eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum animos

1. *tertium se* V. — 3. *aruspices* G. contra Inscriptt. — 7. *haberentur* K. — 11. *C. Terentio* V. — 12. *plebs* V. — 13. *nimis novarum rerum* V. — 19. *quotidiano* V. — 21. *erat* sine uncis V. K. — 22. *retractum ex itinere* V. — *diceret se* V. — 24. *dicere* V. — 26. *edocet* V. — 28. *eo* V.

reficeret et illi facilius e periculo eriperentur. Sed ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maxumis divitiis, summa potentia, alii rem incredibilem rati, pars tametsi verum existumabant, tamen quia in tali tempore tanta vis hominis magis leniunda quam exagitanda videbatur, plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii conclamant indicem falsum esse, deque ea re postulant uti referatur. Itaque consulente Cicerone frequens senatus decernit, Tarquini indicium falsum videri, eumque in vinculis retinendum, neque amplius potestatem faciundam, nisi de eo indicaret, quoius consilio tantam rem esset mentitus. Erant eo tempore, qui aestumarent, indicium illud a P. Autronio machinatum, quo facilius adpellato Crasso per societatem periculi reliquos illius potentia tegeret. Alii Tarquinium a Cicerone inmissum aiebant, ne Crassus more suo suscepto malorum patrocinio rem publicam conturbaret. Ipsum Crassum ego postea praedicantem audivi, tantam illam contumeliam sibi a Cicerone inpositam.

49. Sed isdem temporibus Q. Catulus et G. Piso neque precibus neque gratia neque pretio Ciceronem inpellere potuere, uti per Allobroges aut alium indicem G. Caesar falso nominaretur. Nam uterque cum illo gravis inimicitias exercebat: Piso obpugnatus in iudicio pecuniarum repetundarum propter quoiusdam Transpadani supplicium iniustum; Catulus ex petitione pontificatus odio incensus, quod extrema aetate, maxumis honoribus usus, ab adulescentulo Caesare victus disces-

1. om. *e* V. — 5. om. *magis* K. — 6. *privatis negotiis* V. — 7. *clamant* V. — *esse falsum* V. — 12. *mentitus esset* K. — 13. *existumarent* V. K. — 16. *immissum a Cicerone* V. — 21. om. *neque gratia* V. — 22. *aut per* K. — 23. *Namque* V. — 24. *exercebant* V. K. — 27. *usus maximis honoribus* V.

serat. Res autem opportuna videbatur, quod is privatim egregia liberalitate, publice maxumis muneribus grandem pecuniam debebat. Sed ubi consulem ad tantum facinus inpellere nequeunt, ipsi singulatim circumeundo atque ementiundo, quae se ex Volturcio aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant, usque adeo, ut nonnulli equites Romani, qui praesidi causa cum telis erant circum aedem Concordiae, seu periculi magnitudine seu animi mobilitate inpulsi, quo studium suum in rem publicam clarius esset, egredienti ex senatu Caesari gladio minitarentur.

50. Dum haec in senatu aguntur et dum legatis Allobrogum et T. Volturcio, conprobato eorum indicio, praemia decernuntur, liberti et pauci ex clientibus Lentuli divorsis itineribus opifices atque servitia in vicis ad eum eripiundum sollicitabant, partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio rem publicam vexare soliti erant. Cethegus autem per nuntios familiam atque libertos suos, lectos et exercitatos in audaciam, orabat, ut grege facto cum telis ad sese inrumperent. Consul, ubi ea parari cognovit, dispositis praesidiis, ut res atque tempus monebat, convocato senatu refert, quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. Sed eos paullo ante frequens senatus iudicaverat contra rem publicam fecisse. Tum D. Iunius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, de his, qui in custodiis tenebantur, praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumundum decreverat; isque postea, permotus oratione G. Caesaris, pedibus in sen-

5. *mentiendo* V. — 9. *mobilitate]* V. K. *nobilitate* G. — 14. *libertini* V. — 19. *electos* V. — 20. *se* V. — 21. *uti* V. — 23. *iis* V. — *qui custodiae* V. — 27. *iis* V. — *et praeterea* V.

tentiam Tib. Neronis iturum se dixerat, quod de ea re praesidiis additis referundum censuerat. Sed Caesar, ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam a consule, huiuscemodi verba locutus est:

51. «Omnis homines, patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa obficiunt, neque quisquam omnium lubidini simul et usui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet; si lubido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi, P. C., quae reges atque populi ira aut misericordia inpulsi male consuluerint; sed ea malo dicere, quae maiores nostri contra lubidinem animi sui recte atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas, magna atque magnifica, quae populi Romani opibus creverat, infida atque advorsa nobis fuit; sed postquam bello confecto de Rhodiis consultum est, maiores nostri, ne quis divitiarum magis quam iniuriae causa bellum inceptum diceret, inpunitos eos dimisere. Item bellis Punicis omnibus, quom saepe Karthaginienses et in pace et per inducias multa nefaria facinora fecissent, nunquam ipsi per occasionem talia fecere; magis, quid se dignum foret, quam quid in illos iure fieri posset, quaerebant. Hoc item vobis providendum est, P. C., ne plus apud vos valeat P. Lentuli et ceterorum scelus quam vostra dignitas; neu magis irae vostrae quam famae consulatis. Nam si digna poena pro factis eorum reperitur, novom con-

10. *nil* V. — 11. *qui reges* V. K. — 13. *consuluerunt* G. — 17. *et adversa* V. — 24. *in illis* K. — 25. *Hoc idem* K. — 26. *valeat apud vos* K. — 27. *neve* V. — 29. *reperiretur* V. — *novum* V. K.

silium adprobo; sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat, his utendum censeo, quae legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententiam dixerunt, composite atque magnifice casum rei publicae miserati sunt; quae belli saevitia esset, quae victis acciderent, enumeravere; rapi virgines, pueros, divelli liberos a parentum complexu, matres familiarum pati, quae victoribus conlibuissent, fana atque domos spoliari, caedem, incendia fieri, postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed, per deos inmortalis, quo illa oratio pertinuit? an uti vos infestos coniurationi faceret? Scilicet quem res tanta et tam atrox non permovit, eum oratio accendet. Non ita est; neque quoiquam mortalium iniuriae suae parvae videntur: multi eas gravius aequo habuere. Sed alia aliis licentia est, P. C. Qui demissi in obscuro vitam habent, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna eorum pares sunt: qui magno imperio praediti in excelso aetatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxuma fortuna minuma licentia est; neque studere, neque odisse, sed minume irasci decet; quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas adpellatur. Equidem ego sic existumo, P. C., omnis cruciatus minores quam facinora illorum esse; sed plerique mortales postrema meminere, et in hominibus inpiis sceleris eorum obliti de poena disserunt, si ea paullo severior fuit. D. Silanum, virum fortem atque strenuum, certo scio, quae dixerit, studio rei publicae dixisse, neque illum in tanta re gratiam

1. *si* V. — *sceleris eorum omnium* V. — 2. *iis* V. — 3. *sententias* V. K. — 8. *exspoliari* K. — 12. *atque tam* V. K. — 15. *aliis alia* V. — 16. *dimissi* V. — *vitam agunt* V. — 19. *aetatem habent* K. — 23. *aestimo* V. — 27. *saevior fuerit* V.

aut inimicitias exercere; eos mores eamque modestiam viri cognovi. Verum sententia eius mihi non crudelis, — quid enim in talis homines crudele fieri potest? — sed aliena a re publica nostra videtur. Nam profecto aut metus aut iniuria te subegit, Silane, consulem designatum, genus poenae novom decernere. De timore supervacaneum est disserere, quom praesertim diligentia clarissumi viri, consulis, tanta praesidia sint in armis. De poena possumus equidem dicere id quod res habet; in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse, eam cuncta mortalium mala dissolvere, ultra neque curae neque gaudio locum esse. Sed, per deos inmortalis, quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadvorteretur? An, quia lex Porcia vetat? At aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti iubent. An, quia gravius est verberari quam necari? Quid autem acerbum aut nimis grave est in homines tanti facinoris convictos? Sin, quia levius est; qui convenit in minore negotio legem timere, quom eam in maiore neglexeris? At enim quis reprehendet, quod in parricidas rei publicae decretum erit? Tempus, dies, fortuna, quoius lubido gentibus moderatur. Illis merito accidet, quidquid evenerit; ceterum vos, P. C., quid in alios statuatis, considerate. Omnia mala exempla ex bonis orta sunt; sed ubi imperium ad ignaros aut minus bonos pervenit, novom illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur. Lacedaemonii devictis Atheniensibus triginta viros inposuere,

1. *eam* K. — 2. om. *eius* V. — (7. *quum praesenti* Cortius). — 9. *possumus]* Cod. Turicensis. K. *possum* V. G. — 16. *non vitam* V. — 18. *quid aut acerbum* V. — *grave in* K. — 25. *in aliis* K. — 26. *ex rebus bonis* V. — *ignaros cives* V.

qui rem publicam eorum tractarent. Hi primo coepere pessumum quemque et omnibus invisum indemnatum necare; ea populus laetari et merito dicere fieri. Post ubi paullatim licentia crevit, iuxta bonos et malos lubidinose interficere, ceteros metu terrere. Ita civitas servitute oppressa stultae laetitiae gravis poenas dedit. Nostra memoria victor Sulla quom Damasippum et alios huiusmodi, qui malo rei publicae creverant, iugulari iussit, quis non factum eius laudabat? Homines scelestos et factiosos, qui seditionibus rem publicam exagitaverant, merito necatos aiebant. Sed ea res magnae initium cladis fuit. Nam uti quisque domum aut villam, postremo vas aut vestimentum aliquoius concupiverat, dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset. Ita illi, quibus Damasippi mors laetitiae fuerat, paullo post ipsi trahebantur; neque prius finis iugulandi fuit quam Sulla omnis suos divitiis explevit. Atque ego haec non in M. Tullio neque his temporibus vereor, sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio consule, quoi item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi; ubi hoc exemplo per senati decretum consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet aut quis moderabitur? Maiores nostri, P. C., neque consili neque audaciae unquam eguere, neque illis superbia obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumpserunt: postremo quod ubique apud socios aut hostis idoneum videbatur, cum summo studio

---

8. *eiusmodi* V. — 13. *aut vas* K. — 14. *uti is* V. K. — 15. *laetitia* Kritzii typotheta. — 17. om. *Sulla* V. — 18. *non haec* V. — 19. *in tam magna* V. — 22. *senatus* V. — *gladium consul* V.

domi exsequebantur, imitari quam invidere bonis malebant. Sed eodem illo tempore, Graeciae morem imitati, verberibus animadvortebant in civis, de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam res publica adolevit et multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, alia huiuscemodi fieri coepere, tum lex Porcia aliaeque leges paratae sunt, quibus legibus exilium damnatis permissum est. Ego hanc causam, P. C., quo minus novom consilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus atque sapientia maior in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur eos dimitti et augere exercitum Catilinae? Minume, sed ita censeo: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia, quae maxume opibus valent; neu quis de his postea ad senatum referat neve cum populo agat; qui aliter fecerit, senatum existumare eum contra rem publicam et salutem omnium facturum.»

52. Postquam Caesar dicendi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie adsentiebantur: at M. Porcius Cato, rogatus sententiam, huiuscemodi orationem habuit: «Longe mihi alia mens est, P. C., quom res atque pericula nostra considero, et quom sententias nonnullorum mecum ipse reputo. Illi mihi disseruisse videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere; res autem monet cavere ab illis magis quam, quid in illos statuamus, consultare. Nam cetera maleficia tum persequare, ubi facta sunt; hoc nisi pro-

---

6. *tunc* V. — 8. *damnatis exsilium* V. — *Hanc ego* V. K. — 13. *augere]* V. K. *augeri* G. — 15. *illos* V. — 22. *huiusmodi* V. — 25. *ipse mecum* G. — 27. om. *magis* K. — 28. *in illis* K. — 29. *malefacta* V. — *hic* V.

videris ne accidat, ubi evenit, frustra iudicia implores; capta urbe nihil fit reliqui victis. Sed, per deos inmortalis, vos ego adpello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vostras pluris quam rem publicam fecistis, si ista, quoiuscunque modi sunt quae amplexamini, retinere, si voluptatibus vostris otium praebere voltis, expergiscimini aliquando et capessite rem publicam. Non agitur de vectigalibus neque de sociorum iniuriis: libertas et anima nostra in dubio est. Saepe numero, P. C., multa verba in hoc ordine feci, saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum, multosque mortalis ea causa advorsos habeo; qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini male facta condonabam. Sed ea tametsi vos parvi pendebatis, tamen res publica firma erat; opulentia neglegentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonisne an malis moribus vivamus, neque quantum aut quam magnificum imperium populi Romani sit, sed haec quoiuscunque modi videntur, nostra an nobiscum una hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat. Iampridem equidem nos vera vocabula rerum amisimus, quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur, eo res publica in extremo sita est. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerari; ne illi sanguinem nostrum largiantur, et dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnis perditum eant. Bene et composite G. Caesar paullo ante in hoc ordine de vita

---

1. *evenerit* V. — 2. *reliqui fit* V. — 5. *sint* V. — 13. *haut* G. — 16. *id non* V. — 19. *sed cuius haec cunque* K. — 23. *rerum vocabula* V. K. — 27. (*illis* Codd. Leid. Einsied. Turic.)

et morte disseruit, credo falsa existumans ea, quae de inferis memorantur, divorso itinere malos a bonis loca taetra, inculta, foeda atque formidolosa habere. Itaque censuit pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos; videlicet timens, ne, si Romae sint, aut a popularibus coniurationis aut a multitudine conducta per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe et non per totam Italiam sint, aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores sunt. Quare vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis metuit; sin in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert me mihi atque vobis timere. Quare quom de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinae et de omnibus coniuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit; si paullulum modo vos languere viderint, iam omnes feroces aderunt. Nolite existumare, maiores nostros armis rem publicam ex parva magnam fecisse. Si ita res esset, multo pulcherrumam eam nos haberemus; quippe sociorum atque civium, praeterea armorum atque equorum maior nobis copia quam illis est. Sed alia fuere, quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt, domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto neque lubidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum est; omnia virtutis praemia ambitio possidet. Neque mirum:

1. *aestimans* V. — 4. *et ipsos* V. — 11. *si in* V. — 22. om. *est* K. — 28. *inertiam*] *imperium* V. — *nullum est (nullumst)*] Cod. Basil. V. *nullum* K. G.

ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae aut gratiae servitis, eo fit, ut inpetus fiat in vacuam rem publicam. Sed ego haec omitto. Coniuravere nobilissumi cives patriam incendere, Gallorum gentem infestissumam nomini Romano ad bellum accersunt; dux hostium cum exercitu supra caput est: vos cunctamini etiamnunc, quid intra moenia deprensis hostibus faciatis? Misereamini censeo, — deliquere homines adulescentuli per ambitionem, — atque etiam armatos dimittatis. Nae ista vobis mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam convortet. Scilicet res ipsa aspera est, sed vos non timetis eam. Immo vero maxume; sed inertia et mollitia animi alius alium exspectantes cunctamini, videlicet dis inmortalibus confisi, qui hanc rem publicam saepe in maxumis periculis servavere. Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur; vigilando, agendo, bene consulendo prospera omnia cedunt; ubi socordiae te atque ignaviae tradideris, nequidquam deos inplores; irati infestique sunt. Apud maiores nostros A. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari iussit, atque ille egregius adulescens inmoderatae fortitudinis morte poenas dedit: vos de crudelissumis parricidis quid statuatis cunctamini? Videlicet cetera vita eorum huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae, si dis aut hominibus unquam

---

5. *Romano nomini* V. — 6. *arcessere* V. — 7. *etiamnunc, et dubitatis* V. *etiamnunc* [*et dubitatis*] G. — 8. *deprehensis* V. K. — *faciatis*] *statuatis* V. — *Miseremini* G. — 10. *Nae*] V. *Ne* K. G. — 11. *convortet*] OB. *convertat* vp. G. *convertatur* blt. *convertetur* V. *vortet* K. — 15. *in maxumis saepe* V. K. — 18. *prospere* Cod. Paris. V. — 19. *tradideris*] *dederis* V. — 21. *T. Manlius* K. — 25. *vita cetera* K. — 27. *aut*] *atque* V.

ullis pepercit; ignoscite Cethegi adulescentiae, nisi iterum iam patriae bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Caepario loquar? quibus si quidquam unquam pensi fuisset, non ea consilia de re publica habuissent. Postremo, P. C., si mehercule peccato locus esset, facile paterer vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis; sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu faucibus urguet: alii intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes: neque parari neque consuli quidquam potest occulte; quo magis properandum est. Quare ita ego censeo: quom nefario consilio sceleratorum civium res publica in maxuma pericula venerit, iique indicio T. Volturci et legatorum Allobrogum convicti confessique sint caedem, incendia aliaque se foeda atque crudelia facinora in civis patriamque paravisse, de confessis sicuti de manifestis rerum capitalium more maiorum supplicium sumundum.»

53. Postquam Cato adsedit, consulares omnes itemque senatus magna pars sententiam eius laudant, virtutem animi ad caelum ferunt, alii alios increpantes timidos vocant, Cato clarus atque magnus habetur, senati decretum fit, sicuti ille censuerat. Sed mihi multa legenti, multa audienti, quae populus Romanus domi militiaeque, mari atque terra praeclara facinora fecit, forte lubuit adtendere, quae res maxume tanta negotia sustinuisset. Sciebam saepe numero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse; cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus, ad hoc

---

1. om. *ullis* V. — 2. *iterum iam*] ptl. V. *iterum* K. G. — *facit*] *intulit* V. — 4. *pensi unquam* V. — 5. *mehercle* V. — 6. *vos corrigi ipsa re* V. — 8. *in faucibus* V. — 10. *occulte potest* K. — 11. om. *ego* V. — 13. *hique* V. K. — 14. om. *se* V. — 21. *magnus atque clarus* V. — 28. *gesta fuisse* V.

saepe fortunae violentiam toleravisse, facundia Graecos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse. Ac mihi multa agitanti constabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse, eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. Sed postquam luxu atque desidia civitas corrupta est, rursus res publica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat, ac, sicuti effeta parentum, multis tempestatibus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit. Sed memoria mea ingenti virtute, divorsis moribus fuere viri duo, M. Cato et G. Caesar; quos quoniam res obtulerat, silentio praeterire non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem, aperirem.

54. Igitur his genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere; magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii. Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus, huic severitas dignitatem addiderat. Caesar dando, sublevando, ignoscendo, Cato nihil largiundo gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium erat, in altero malis pernicies; illius facilitas, huius constantia laudabatur. Postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus sua neglegere, nihil denegare, quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, bellum novom exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiae, decoris, sed maxume severitatis erat. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed

---

2. *Romanos ante* V. — 4. *paravisse* V. — 8. *effoeta parente* V. (cum Guelf. 7.) *effetae parentum* auctore Cortio K. — *temporibus* V. — 12. *consilium non fuit* V. — 17. *ac*] V. firmante Claudio Sacerdote p. 86. *atque* K. G. — 21. om. *erat* K. — 26. *novum bellum* K. — 29. *nec* V.

cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat, esse quam videri bonus malebat; ita quo minus petebat gloriam, eo magis [illum] sequebatur.

55. Postquam, ut dixi, senatus in Catonis sententiam discessit, consul optumum factu ratus, noctem, quae instabat, antecapere, ne quid eo spatio novaretur, triumviros quae supplicium postulabat parare iubet; ipse, praesidiis dispositis, Lentulum in carcerem deducit; idem fit ceteris per praetores. Est in carcere locus, quod Tullianum adpellatur, ubi paullulum descenderis ad laevam, circiter duodecim pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes atque insuper camera lapideis fornicibus vincta, sed incultu, tenebris, odore foeda atque terribilis eius facies est. In eum locum postquam demissus est Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere. Ita ille patricius ex gente clarissuma Corneliorum, qui consulare imperium Romae habuerat, dignum moribus factisque suis exitium vitae invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Caepario eodem modo supplicium sumptum est.

56. Dum ea Romae geruntur, Catilina ex omni copia, quam et ipse adduxerat et Manlius habuerat, duas legiones instituit, cohortis pro numero militum complet, deinde, ut quisque voluntarius aut ex sociis in castra venerat, aequaliter distribuerat, ac brevi spatio legiones

---

3. *gloriam petebat* V. K. — *magis illam assequebatur* V. *magis sequebatur* K. — 5. *uti* V. — 6. *factum* K. — 8. *quae ad* V. — 9. *depositis praesidiis* V. *dispositis praesidiis* K. — 10. *ceteris idem fit* V. — *locus in carcere* V. K. — 11. *ascenderis* V. (*escenderis* Cortius). — 14 *iuncta* V. — *inculta* V. — 16. *indices* V. — 18. *ex clarissuma gente* K. — 20. *exitum* V. — 27. *distribuebat* Cod. Leid. I. K.

numero hominum expleverat, quom initio non amplius duobus milibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii praeacutas sudis portabant. Sed postquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montis iter facere, modo ad urbem, modo in Galliam vorsus castra movere, hostibus occasionem pugnandi non dare; sperabat propediem magnas copias sese habiturum, si Romae socii incepta patravissent. Interea servitia repudiabat, quoius initio ad eum magnae copiae concurrebant, opibus coniurationis fretus, simul alienum suis rationibus existumans, videri causam civium cum servis fugitivis conmunicavisse.

57. Sed postquam in castra nuntius pervenit Romae coniurationem patefactam, de Lentulo et Cethego ceterisque, quos supra memoravi, supplicium sumptum; plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium inlexerat, dilabuntur; reliquos Catilina per montis asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem abducit, eo consilio, uti per tramites occulte perfugeret in Galliam [Transalpinam]. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno praesidebat, ex difficultate rerum eadem illa existumans, quae supra diximus, Catilinam agitare. Igitur, ubi iter eius ex perfugis cognovit, castra propere movet ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat in Galliam properanti. Neque tamen Antonius procul aberat,

5. *portare* V. — 7. [*in*] G. — 11. *magna copia concurrebat* V. — 15. *nuntius in castra* V. — 16. *Lentulo, Cethego, ceteris* K. — *et ceteris* V. — 22. om. *Transalpinam* Cod Erl. K. — 26. *movit* V. K. — 27. *descensus erat illi* V.

utpote qui magno exercitu locis aequioribus expeditus in fuga sequeretur. Sed Catilina postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in urbe res advorsas, neque fugae neque praesidi ullam spem, optumum factu ratus, in tali re fortunam belli temptare, statuit cum Antonio quam primum confligere. Itaque contione advocata huiuscemodi orationem habuit:

58. «Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere, neque ex ignavo strenuum neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. Quanta quoiusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet. Quem neque gloria neque pericula excitant, nequidquam hortere; timor animi auribus officit. Sed ego vos, quo pauca monerem, advocavi; simul uti causam mei consili aperirem. Scitis equidem, milites, socordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi nobisque cladem attulerit; quoque modo, dum ex urbe praesidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc vero quo [in] loco res nostrae sint, iuxta mecum omnes intellegitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia obstant; diutius in his locis esse, si maxume animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet. Quocunque ire placet, ferro iter aperiundum est. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis et, quom proelium inibitis, memineritis vos divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam in dexteris vostris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt, commeatus abunde, municipia

1. *expeditos* V. G. et Cod. Turic. Sec. X. Prisciani. XVIII. 25. p. 240. Kr. — 2. *in fugam* V. — *posteaquam* V. — 5. *factum* K. — 15. *consilii mei* V. — 17. *cladem nobisque* K. — 18. *praesidia ex urbe* V. — 19. *quo loco* V. *quo in loco* K. — 26. *gloriam, decus* V. — 27. *dextris* V. K.

atque coloniae patebunt; sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fient: neque locus neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Praeterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo impendet; nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus: illis supervacaneum est pro potentia paucorum pugnare. Quo audacius adgredimini, memores pristinae virtutis. Licuit vobis cum summa turpitudine in exilio aetatem agere; potuistis nonnulli Romae amissis bonis alienas opes exspectare: quia illa foeda atque intoleranda viris videbantur, haec sequi decrevistis. Si haec relinquere voltis, audacia opus est; nemo nisi victor pace bellum mutavit. Nam in fuga salutem sperare, quom arma, quis corpus tegitur, ab hostibus avorteris, ea vero dementia est. Semper in proelio is maxumum est periculum, qui maxume timent; audacia pro muro habetur. Quom vos considero, milites, et quom facta vostra aestumo, magna me spes victoriae tenet. Animus, aetas, virtus vostra me hortantur; praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortis facit. Nam multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiae loci. Quodsi virtuti vostrae fortuna inviderit, cavete, inulti animam amittatis, neu capti potius sicuti pecora trucidemini, quam virorum more pugnantes cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.»

59. Haec ubi dixit, paullulum commoratus, signa canere iubet, atque instructos ordines in locum aequum

---

1. *coloniae atque municipia* K. — *si* V. G. — *eadem] omnia* V. — 3. *texere* V. — 6. *pugnare pro potentia paucorum* V. K. — 8. *nobis* V. G. — 10. *spectare* V. — 14. *quibus* V. — 15. *Semper his in proelio* V. — om. *is* K. — 18. *spes me* V. — 22. *cavete, ne* V. — 23. *sicuti pecora, potius* V.

deducit. Dein, remotis omnium equis, quo militibus exaequato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco atque copiis instruit. Nam, uti planities erat inter sinistros montis et ab dextera rupis aspera, octo cohortis in fronte constituit, reliquarum signa in subsidio artius conlocat. Ab his centuriones, omnis lectos et evocatos, praeterea ex gregariis militibus optumum quemque armatum in primam aciem subducit. G. Manlium in dextera, Faesulanum quendam in sinistra parte curare iubet; ipse cum libertis et colonis propter aquilam adsistit, quam bello Cimbrico G. Marius in exercitu habuisse dicebatur. At ex altera parte G. Antonius, pedibus aeger, quod proelio adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. Ille cohortis veteranas, quas tumulti causa conscripserat, in fronte, post eas ceterum exercitum in subsidiis locat. Ipse equo circumiens, unum quemque nominans adpellat, hortatur, rogat, ut meminerint, se contra latrones inermis, pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis certare. Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus aut praefectus aut legatus aut praetor cum magna gloria in exercitu fuerat, plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat; ea commemorando militum animos accendebat.

60. Sed ubi, omnibus rebus exploratis, Petreius tuba signum dat, cohortis paullatim incedere iubet, idem facit hostium exercitus. Postquam eo ventum est, unde a ferentariis proelium conmitti posset, maxumo clamore

---

1. *Deinde* K. — 4. *rupes* Cod. Basil. a pr. m. *rupe* V. G. — 5. *reliqua* K. — 9. *et Faesulanum* V. — 15. *veteranas cohortes* V. — „*tumultus* bpet. sed in t. *tumulti* fuerat." G. — 17. *circuens* V. — 18. *uti* K. — (19. *inermis* firmat Arusianus p. 218. *inermos* Cortius.) — 20. *cernere* K. — 22. *gloria magna* V. — 26. *iubet; idem* V. G.

cum infestis signis concurrunt; pila omittunt, gladiis res geritur. Veterani, pristinae virtutis memores, cominus acriter instare; illi haud timidi resistunt; maxuma vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus subcurrere; integros pro sauciis accersere, omnia providere, multum ipse pugnare, saepe hostem ferire; strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur. Petreius, ubi videt Catilinam, contra ac ratus erat, magna vi tendere, cohortem praetoriam in medios hostis inducit, eosque perturbatos atque alios alibi resistentes interficit; deinde utrimque ex lateribus ceteros adgreditur. Manlius et Faesulanus in primis pugnantes cadunt. Postquam fusas copias seque cum paucis relictum videt Catilina, memor generis atque pristinae suae dignitatis, in confertissumos hostis incurrit ibique pugnans confoditur.

61. Sed confecto proelio, tum vero cerneres, quanta audacia quantaque vis animi fuisset in exercitu Catilinae. Nam fere, quem quisque vivos pugnando locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors praetoria disiecerat, paullo divorsius, sed omnes tamen advorsis volneribus conciderant. Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera repertus est, paullulum etiam spirans ferociamque animi, quam habuerat vivos, in voltu retinens. Postremo ex omni copia neque in proelio neque in fuga quisquam civis ingenuus captus est: ita cuncti suae hostiumque vitae iuxta pepercerant. Neque tamen

---

2. *res agitur* V. cum Einsied. Turic. — 6. *arcessere* V. — 11. *dein* V. — 13. *Postquam Catilina fusas copias seque relictum cum paucis videt* V. — 15. *dignitatis suae* V. om. *suae* K. — 18. *animi vis* V. — 19. *pugnando vivus* V. — 24. *ferocitatemque* V. — 28. *vitae hostiumque* V.

exercitus populi Romani laetam aut incruentam victoriam adeptus erat; nam strenuissumus quisque aut occiderat in proelio aut graviter volneratus discesserat. Multi autem, qui de castris visundi aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem aut cognatum reperiebant; fuere item, qui inimicos suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum laetitia, maeror, luctus atque gaudia agitabantur.

---

4. *e castris* V.

C. SALUSTI CRISPI
BELLUM
IUGURTHINUM.

---

1. Falso queritur de natura sua genus humanum quod inbecilla atque aevi brevis forte potius quam virtute regatur. Nam contra reputando neque maius aliud neque praestabilius invenias, magisque naturae industriam hominum quam vim aut tempus deesse. Sed dux atque imperator vitae mortalium animus est, qui, ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est, neque fortuna eget, quippe probitatem, industriam aliasque artis bonas neque dare neque eripere quoiquam potest. Sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptatis corporis pessum datus est, perniciosa lubidine paullisper usus, ubi per socordiam vires, tempus, ingenium diffluxere, naturae infirmitas accusatur; suam quisque culpam actores ad negotia transferunt. Quodsi hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura multumque etiam periculosa petunt; neque re-

---

4. *invenies* K. — 8. *quippe quae* V. K. — 9. *bonas artes* V. — 13. *defluxere* V. K. — 14. *quique* V. — *auctores* V. K.

gerentur magis quam regerent casus, et eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloria aeterni fierent.

2. Nam uti genus hominum compositum ex corpore et anima est, ita res cunctae studiaque omnia nostra corporis alia, alia animi naturam sequuntur. Igitur praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc vis corporis et alia huiuscemodi omnia brevi dilabuntur; at ingeni egregia facinora sicuti anima inmortalia sunt. Postremo corporis et fortunae bonorum ut initium sic finis est, omniaque orta occidunt et aucta senescunt: animus incorruptus, aeternus, rector humani generis, agit atque habet cuncta neque ipse habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui dediti corporis gaudiis per luxum atque ignaviam aetatem agunt, ceterum ingenium, quo neque melius neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque socordia torpescere sinunt; quom praesertim tam multae variaeque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur.

3. Verum ex his magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum minume mihi hac tempestate cupiunda videntur; quoniam neque virtuti honos datur, neque illi, quibus per fraudem is fuit, tuti aut eo magis honesti sunt. Nam vi quidem regere patriam aut parentes, quamquam et possis et delicta corrigas, tamen inportunum est; quom praesertim omnes rerum mutationes caedem, fugam, aliaque hostilia portendant frustra autem niti, neque aliud se fatigando nisi odium

1. *magis a casibus* V. — 2. *uti* K. — 4. *e* V. — *est ex corpore et anima* K. — 8. *huiuscemodi omnia]* Einsied. V. *omnia huiuscemodi* G. K. — 10. *uti* V. — 15. *atque]* Einsied. V. K. *et* G. — 23. *is]* Einsied. K. *ius* V. G. — *utique tuti* V. K., quod ortum est ex geminatione lt. *uti tuti*.

quaerere, extremae dementiae est; nisi forte quem inhonesta et perniciosa lubido tenet, potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari.

4. Ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum: quoius de virtute quia multi dixere, praetereundum puto; simul ne per insolentiam quis existumet memet studium meum laudando extollere. Atque ego credo fore, qui, quia decrevi procul a re publica aetatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiae inponant: certe, quibus maxuma industria videtur salutare plebem et conviviis gratiam quaerere. Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratum adeptus sum, et quales viri idem adsequi nequiverint, et postea quae genera hominum in senatum pervenerint, profecto existumabunt me magis merito quam ignavia iudicium animi mei mutavisse, maiusque commodum ex otio meo quam ex aliorum negotiis rei publicae venturum. Nam saepe ego audivi, Q. Maxumum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere, quom maiorum imagines intuerentur, vehementissume sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit. At contra, quis est omnium his moribus, quin divitiis et sumptibus, non probitate neque industria cum maioribus suis contendat? Etiam homines novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim et

4. *ex iis negotiis* V. — 13. *magistratus* K. — 14. *sum]* Turic. V. K. *sim* G. — 19. om. *ego* Kritzii typotheta. — 27. *qui non* V.

per latrocinia potius quam bonis artibus ad imperia et honores nituntur; proinde quasi praetura et consulatus atque alia omnia huiuscemodi per se ipsa clara et magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ea sustinent, virtus est. Verum ego liberius altiusque processi, dum me civitatis morum piget taedetque; nunc ad inceptum redeo.

5. Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Iugurtha rege Numidarum gessit; primum quia magnum et atrox variaque victoria fuit, dein quia tunc primum superbiae nobilitatis obviam itum est; quae contentio divina et humana cuncta permiscuit eoque vecordiae processit, uti studiis civilibus bellum atque vastitas Italiae finem faceret. Sed priusquam huiuscemodi rei initium expedio, pauca supra repetam, quo ad cognoscendum omnia inlustria magis magisque in aperto sint. Bello Punico secundo, quo dux Karthaginiensium Hannibal post magnitudinem nominis Romani Italiae opes maxume adtriverat, Masinissa rex Numidarum, in amicitiam receptus a P. Scipione, quoi postea Africano cognomen ex virtute fuit, multa et praeclara rei militaris facinora fecerat; ob quae victis Karthaginiensibus et capto Syphace, quoius in Africa magnum atque late imperium valuit, populus Romanus quascunque urbis et agros manu ceperat, regi dono dedit. Igitur amicitia Masinissae bona atque honesta nobis permansit. Sed imperi vitaeque eius finis idem fuit. Dein Micipsa filius regnum solus obtinuit, Mastanabale et Gulussa fratribus morbo absumptis. Is Adherbalem

---

10. *tum* V. — 13. *ut* V. — 15. *expediam* V. — 17. *Carthaginensium* V. — 21. *cognomen Africano* V. — 23. *Suface* G. — 27. om. *Sed* K. — 28. *Deinde* V. K. — *Manastabale* V.

et Hiempsalem ex sese genuit, Iugurthamque, filium Mastanabalis fratris, quem Masinissa, quod ortus ex concubina erat, privatum dereliquerat, eodem cultu quo liberos suos domi habuit.

6. Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxume ingenio validus, non se luxu neque inertiae corrumpendum dedit, sed, uti mos gentis illius est, equitare, iaculari, cursu cum aequalibus certare, et quom omnis gloria anteiret, omnibus tamen carus esse; ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus aut in primis ferire, plurumum facere, minumum ipse de se loqui. Quibus rebus Micipsa tametsi initio laetus fuerat, existumans virtutem Iugurthae regno suae gloriae fore, tamen, postquam hominem adulescentem exacta sua aetate et parvis liberis magis magisque crescere intellegit, vehementer eo negotio permotus, multa cum animo suo volvebat. Terrebat eum natura mortalium avida imperi et praeceps ad explendam animi cupidinem, praeterea opportunitas suae liberorumque aetatis, quae etiam mediocris viros spe praedae transvorsos agit; ad hoc studia Numidarum in Iugurtham accensa, ex quibus, si talem virum dolis interfecisset, ne qua seditio aut bellum oriretur, anxius erat.

7. His difficultatibus circumventus ubi videt neque per vim neque insidiis obprimi posse hominem tam acceptum popularibus, quod erat Iugurtha manu promptus et adpetens gloriae militaris, statuit eum obiectare

---

2. *Mastanabalis fratris filium* V. K. (*Manastabalis* V.) — 3. *dereliquerat*] bl. K. *reliquerat* V. G. — 6. *luxui* V. — 12. *minumum*] Fronto Ed. Rom. p. 163. Cortius. *et minumum* V. G. K. — 14. *Iugurthae virtutem* V. — 20. *suaeque et liberorum* V.

periculis et eo modo fortunam temptare. Igitur bello Numantino Micipsa, quom populo Romano equitum atque peditum auxilia mitteret, sperans vel ostentando virtutem vel hostium saevitia facile eum occasurum, praefecit Numidis, quos in Hispaniam mittebat. Sed ea res longe aliter, ac ratus erat, evenit. Nam Iugurtha, ut erat inpigro atque acri ingenio, ubi naturam P. Scipionis, qui tum Romanis imperator erat, et morem hostium cognovit, multo labore multaque cura, praeterea modestissume parendo et saepe obviam eundo periculis in tantam claritudinem brevi pervenerat, ut nostris vehementer carus, Numantinis maxumo terrori esset. Ac sane, quod difficillumum in primis est, et proelio strenuus erat et bonus consilio; quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem adferre plerumque solet. Igitur imperator omnis fere res asperas per Iugurtham agere, in amicis habere, magis magisque eum in dies amplecti; quippe quoius neque consilium neque inceptum ullum frustra erat. Huc accedebat munificentia animi et ingeni sollertia, quis rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia coniunxerat.

8. Ea tempestate in exercitu nostro fuere conplures novi atque nobiles, quibus divitiae bono honestoque potiores erant, factiosi domi, potentes apud socios, clari magis quam honesti, qui Iugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant, si Micipsa rex occidisset, fore, uti solus imperio Numidiae potiretur, in ipso maxumam virtutem, Romae omnia venalia esse. Sed

8. *tunc* K. — 16. *plerumque afferre* V. — 18. *[eum]* G. — 21. *quibus* V. — 25. *factiosi, domi potentes, apud socios clari* V. — 28. *imperi* K.

postquam Numantia deleta P. Scipio dimittere auxilia et ipse revorti domum decrevit, donatum atque laudatum magnifice pro contione Iugurtham in praetorium abduxit ibique secreto monuit, uti potius publice quam privatim amicitiam populi Romani coleret neu quibus largiri insuesceret; periculose a paucis emi, quod multorum esset: si permanere vellet in suis artibus, ultro illi et gloriam et regnum venturum, sin properantius pergeret, suamet ipsum pecunia praecipitem casurum.

9. Sic locutus cum litteris eum, quas Micipsae redderet, dimisit. Earum sententia haec erat: «Iugurthae tui bello Numantino longe maxuma virtus fuit, quam rem tibi certo scio gaudio esse. Nobis ob merita sua carus est; ut idem senatui et populo Romano sit, summa ope nitemur. Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor. En habes virum dignum te atque avo suo Masinissa.» Igitur rex, ubi ea, quae fama acceperat, ex litteris imperatoris ita esse cognovit, cum virtute tum gratia viri permotus flexit animum suum et Iugurtham beneficiis vincere adgressus est, statimque eum adoptavit et testamento pariter cum filiis heredem instituit. Sed ipse paucos post annos morbo atque aetate confectus quom sibi finem vitae adesse intellegeret, coram amicis et cognatis itemque Adherbale et Hiempsale filiis dicitur huiuscemodi verba cum Iugurtha habuisse:

10. «Parvom ego te, Iugurtha, amisso patre, sine spe, sine opibus, in meum regnum accepi, existumans non minus me tibi, quam si genuissem, ob beneficia

---

4. *adduxit* V. G. — *ut* V. G. — 9. *pergeret, pecuniam et ipsum pr. c.* V. — 13. *certo scio tibi* V. — 14. *uti* K. — *senatui populoque* G. — 16. om. *en* Codd. Vatic. Leid. — 18. *tum virtute* V. — 21. *et in* V. — 28. *quam si]* auctoribus Ursino et Ciacconio K. *quam liberis, si* Libri. V. G.

carum fore; neque ea res falsum me habuit. Nam, ut alia magna et egregia tua omittam, novissume rediens Numantia meque regnumque meum gloria honoravisti tuaque virtute nobis Romanos ex amicis amicissumos fecisti; in Hispania nomen familiae renovatum est, postremo, quod difficillumum inter mortalis est, gloria invidiam vicisti. Nunc, quoniam mihi natura finem vitae facit, per hanc dexteram, per regni fidem moneo obtestorque, uti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas, neu malis alienos adiungere quam sanguine coniunctos retinere. Non exercitus neque thesauri praesidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere neque auro parare queas; officio et fide pariuntur. Quis autem amicior quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? Equidem ego vobis regnum trado firmum, si boni eritis; sin mali, inbecillum. Nam concordia parvae res crescunt, discordia maxumae dilabuntur. Ceterum ante hos te, Iugurtha, qui aetate et sapientia prior es, ne aliter quid eveniat, providere decet. Nam in omni certamine qui opulentior est, etiamsi accipit iniuriam, tamen quia plus potest, facere videtur. Vos autem, Adherbal et Hiempsal, colite, observate talem hunc virum, imitamini virtutem et enitimini, ne ego meliores liberos sumpsisse videar quam genuisse.»

11. Ad ea Iugurtha, tametsi regem ficta locutum intellegebat et ipse longe aliter animo agitabat, tamen pro tempore benigne respondit. Micipsa paucis post diebus moritur. Postquam illi more regio iusta magni-

---

2 *tua facinora* V. (*tua facta* Cod Turic.) — 5. *familiae nostrae* V. — 8. *dextram* V. K. — *obtestorque te* K. — 16. *regnum vobis* V. — 17. *sin*] *si* V. — 23. *et observate* Turic. V.

fice fecerant, reguli in unum convenerunt, ut inter se de cunctis negotiis disceptarent. Sed Hiempsal, qui minumus ex illis erat, natura ferox et iam ante ignobilitatem Iugurthae, quia materno genere inpar erat, despiciens, dextera Adherbalem adsedit, ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Iugurtha foret. Dein tamen ut aetati concederet fatigatus a fratre, vix in partem alteram transductus est. Ibi quom multa de administrando imperio dissererent, Iugurtha inter alias res iacit oportere quinquenni consulta et decreta omnia rescindi; nam per ea tempora confectum annis Micipsam parum animo valuisse. Tum idem Hiempsal placere sibi respondit; nam ipsum illum tribus proxumis annis adoptatione in regnum pervenisse. Quod verbum in pectus Iugurthae altius, quam quisquam ratus erat, descendit. Itaque ex eo tempore ira et metu anxius moliri, parare atque ea modo cum animo habere, quibus Hiempsal per dolum caperetur. Quae ubi tardius procedunt neque lenitur animus ferox, statuit quovis modo inceptum perficere.

12. Primo conventu, quem ab regulis factum supra memoravi, propter dissensionem placuerat dividi thesauros finisque imperi singulis constitui. Itaque tempus ad utramque rem decernitur, sed maturius ad pecuniam distribuendam. Reguli interea in loca propinqua thesauris alius alio concessere. Sed Hiempsal in oppido Thirmida forte eius domo utebatur, qui proxumus lictor Iugurthae carus acceptusque ei semper fuerat; quem

---

1. *convenere* V. K. — *uti* K. — 3. *etiam* V. — 5. *dextra* V. — 7. *uti* K. — 8. *in alteram partem* V. — 10. *iacit] ait* Turic. V. — 13. *[his] tribus* G. — 14. *adoptione* V. — 17. *cum] in* V. — 18. *per dolum Hiempsal* V. — 27. *utebatur domo* V.

ille casu ministrum oblatum promissis onerat inpellitque, uti tamquam suam visens domum eat, portarum clavis adulterinas paret (nam verae ad Hiempsalem referebantur); ceterum, ubi res postularet, se ipsum cum magna manu venturum. Numida mandata brevi conficit atque, uti doctus erat, noctu Iugurthae milites introducit. Qui postquam in aedis inrupere, divorsi regem quaerere, dormientis alios, alios occursantis interficere, scrutari loca abdita, clausa effringere, strepitu et tumultu omnia miscere; quom interim Hiempsal reperitur occultans sese tugurio mulieris ancillae, quo initio pavidus et ignarus loci perfugerat. Numidae caput eius, uti iussi erant, ad Iugurtham referunt.

13. Ceterum fama tanti facinoris per omnem Africam brevi divolgatur; Adherbalem omnisque, qui sub imperio Micipsae fuerant, metus invadit; in duas partis discedunt Numidae; plures Adherbalem sequuntur, sed illum alterum bello meliores. Igitur Iugurtha quam maxumas potest copias armat, urbis partim vi, alias voluntate imperio suo adiungit, omni Numidiae imperare parat. Adherbal, tametsi Romam legatos miserat, qui senatum docerent de caede fratris et fortunis suis, tamen fretus multitudine militum, parabat armis contendere. Sed ubi res ad certamen venit, victus ex proelio profugit in provinciam ac deinde Romam contendit. Tum Iugurtha patratis consiliis, postquam omnis Numidiae potiebatur, in otio facinus suum cum animo reputans, timere populum Romanum neque advorsus iram eius usquam nisi in avaritia nobilitatis et pecunia

---

2. *domum visens* V. — 6. *confecit* K. — *ut* K. — 11. *se in tugurio* V. K. — 12. *profugerat* V. — 13. *ut* G. — 16. *Micipsae imperio* V. — 21. *At Adherbal* V. — 25. *dein* V. — 26. *omni Numidia* V.

sua spem habere. Itaque paucis diebus cum auro et argento multo legatos Romam mittit, quis praecepit, primum uti veteres amicos muneribus expleant, deinde novos adquirant, postremo quaecunque possint largiundo parare ne cunctentur. Sed ubi Romam legati venere et ex praecepto regis hospitibus aliisque, quorum ea tempestate in senatu auctoritas pollebat, magna munera misere, tanta commutatio incessit, uti ex maxuma invidia in gratiam et favorem nobilitatis Iugurtha veniret; quorum pars spe, alii praemio inducti, singulos ex senatu ambiundo nitebantur, ne gravius in eum consuleretur. Igitur ubi legati satis confidunt, die constituto senatus utrisque datur. Tum Adherbalem hoc modo locutum accepimus:

14. «Patres conscripti, Micipsa pater meus moriens mihi praecepit, uti regni Numidiae tantummodo procurationem existumarem meam, ceterum ius et imperium eius penes vos esse; simul eniterer domi militiaeque quam maxumo usui esse populo Romano; vos mihi cognatorum, vos adfinium loco ducerem: si ea fecissem, in vostra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni me habiturum. Quae quom praecepta parentis mei agitarem, Iugurtha, homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissumus contempto imperio vostro, Masinissae me nepotem et iam ab stirpe socium atque amicum populi Romani regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego, patres conscripti, quoniam eo miseriarum venturus eram, vellem potius ob mea quam ob maiorum meorum

---

1. *argento et auro* V. — 2. *Romam legatos* G. — *praecipit* G. — 3. *uti primum* V. — 4. *quemcunque* V. — 18. om. *eius* V. — 20. *vos adfinium loco]* Vatic. V. K. *vos in adfinium locum* G. — 22. *quom* ponit ante v. *agitarem* V. — *patris* V. — 25. *nepotem, etiam ab* V. — *et amicum* K.

beneficia posse a vobis auxilium petere, ac maxume deberi mihi beneficia a populo Romano, quibus non egerem; secundum ea, si desideranda erant, uti debitis uterer. Sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas est, neque mihi in manu fuit, Iugurtha qualis foret, ad vos confugi, patres conscripti, quibus, quod mihi miserrumum est, cogor prius oneri quam usui esse. Ceteri reges aut bello victi in amicitiam a vobis recepti sunt, aut in suis dubiis rebus societatem vostram adpetiverunt; familia nostra cum populo Romano bello Karthaginiensi amicitiam instituit, quo tempore magis fides eius quam fortuna petenda erat. Quorum progeniem vos, patres conscripti, nolite pati me nepotem Masinissae frustra a vobis auxilium petere. Si ad impetrandum nihil causae haberem praeter miserandam fortunam, quod paullo ante rex genere, fama atque copiis potens, nunc deformatus aerumnis, inops, alienas opes exspecto, tamen erat maiestatis Romani populi prohibere iniuriam neque pati quoiusquam regnum per scelus crescere. Verum ego iis finibus eiectus sum, quos maioribus meis populus Romanus dedit, unde pater et avos meus una vobiscum expulere Syphacem et Karthaginiensis. Vostra beneficia mihi erepta sunt, patres conscripti, vos in mea iniuria despecti estis. Eheu me miserum! Hucine, Micipsa pater, beneficia tua evasere, ut, quem tu parem cum liberis [tuis] regnique participem fecisti, is potissumum stirpis tuae exstinctor sit? Nunquam ergo familia nostra quieta erit?

1. *me posse* V. *posse me* G. — 2. *quibus utinam non* V. — 3. *secundum, ea si desideranda erant* K. Tu cfr. Priscian. XIV. 5. — 18. *populi Romani* V. K. — 20. *his* K. — 25. *Huccine* V. K. — 26. *uti* K. — *tuis* sine uncis V. K. — 28. *Nunquamne* V. G.

semperne in sanguine, ferro, fuga versabimur? Dum Karthaginienses incolumes fuere, iure omnia saeva patiebamur; hostes ab latere, vos amici procul, spes omnis in armis erat. Postquam illa pestis ex Africa eiecta est, laeti pacem agitabamus, quippe quis hostis nullus erat, nisi forte quem vos iussissetis. Ecce autem ex inproviso Iugurtha, intoleranda audacia, scelere atque superbia sese ecferens, fratre meo atque eodem propinquo suo interfecto, primum regnum eius sceleris sui praedam fecit, post, ubi me isdem dolis non quit capere, nihil minus quam vim aut bellum exspectantem in imperio vostro, sicuti videtis, extorrem patria, domo, inopem et coopertum miseriis effecit, ut ubivis tutius quam in meo regno essem. Ego sic existumabam, patres conscripti, uti praedicantem audiveram patrem meum, qui vostram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere, ceterum ex omnibus maxume tutos esse. Quod in familia nostra fuit, praestitit, uti in omnibus bellis adesset vobis; nos uti per otium tuti simus, in vostra manu est, patres conscripti. Pater nos duos fratres reliquit; tertium, Iugurtham, beneficiis suis ratus est coniunctum nobis fore. Alter eorum necatus est, alterius ipse ego manus inpias vix effugi. Quid agam? aut quo potissumum infelix accedam? Generis praesidia omnia exstincta sunt; pater, uti necesse erat, naturae concessit; fratri, quem minume decuit, propinquus per scelus vitam eripuit; adfinis, amicos, propinquos ceteros alium alia clades oppressit;

1. *versabitur* G. — 5. *nullus hostis* V. — 8. *se* G. — 10. *nequit* V. K. — 15. *ut* K. — 20. *in manu vostra* V. K. — 22. *nobis coniunctum* V. — 23. om. *est* V. — *alter ipse* V. — 24. *accedam*] Cfr. p. 66. v. 10. — 28. *ceteros meos* V. *ceteros [meos]* G.

capti ab Iugurtha pars in crucem acti, pars bestiis obiecti sunt; pauci, quibus relicta est anima, clausi in tenebris, cum maerore et luctu morte graviorem vitam exigunt. Si omnia, quae aut amisi aut ex necessariis adversa facta sunt, incolumia manerent, tamen, si quid ex inproviso mali accidisset, vos inplorarem, patres conscripti, quibus pro magnitudine imperi ius et iniurias omnis curae esse decet. Nunc vero exul patria, domo, solus atque omnium honestarum rerum egens, quo accidam aut quos adpellem? nationesne an reges, qui omnes familiae nostrae ob vostram amicitiam infesti sunt? An quoquam mihi adire licet, ubi non maiorum meorum hostilia monumenta pluruma sint? aut quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit? Postremo Masinissa nos ita instituit, patres conscripti, ne quem coleremus nisi populum Romanum, ne societates, ne foedera nova acciperemus; abunde magna praesidia nobis in vostra amicitia fore; si huic imperio fortuna mutaretur, una occidendum nobis esse. Virtute ac dis volentibus magni estis et opulenti; omnia secunda et obedientia sunt; quo facilius sociorum iniurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Iugurthae parum cognita transvorsos agat, quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid de absente incognita causa statuatis, fingere me verba et fugam simulare, quoi licuerit in regno manere. Quodutinam illum, quoius inpio facinore in has miserias proiectus sum, eadem haec simulantem

---

4. *agunt* V. — 6. om. *mali* Kritzii typotheta, Cortium secutus. — 9. *egens rerum* V. — 10. *accidam]* auctore Donato ad Ter. Hecyr. 3, 3, 18. K. *accedam* Libri. V. G. — 13. *aut]* *an* V. — 19. *nobis occidendum* K. — 20. *et opulenti estis* V. — 24. *maxuma]* *summa* V.

videam, et aliquando aut apud vos aut apud deos inmortalis rerum humanarum cura oriatur; nae ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque praeclarus est, omnibus malis excruciatus inpietatis in parentem nostrum, fratris mei necis mearumque miseriarum gravis poenas reddat. Iamiam frater, animo meo carissume, quamquam tibi inmaturo et unde minume decuit vita erepta est, tamen laetandum magis quam dolendum puto casum tuum; non enim regnum, sed fugam, exilium, egestatem et omnis has, quae me premunt, aerumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix, in tanta mala praecipitatus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum praebeo, incertus quid agam, tuasne iniurias persequar, ipse auxili egens, an regno consulam, quoius vitae necisque potestas ex opibus alienis pendet. Utinam emori fortunis meis honestus exitus esset! neu vivere contemptus viderer, si defessus malis iniuriae concessissem. Nunc neque vivere lubet, neque mori licet sine dedecore. Patres conscripti, per vos, per liberos atque parentes vostros, per maiestatem populi Romani subvenite misero mihi, ite obviam iniuriae, nolite pati regnum Numidiae, quod vostrum est, per scelus et sanguinem familiae nostrae tabescere.»

15. Postquam rex finem loquendi fecit, legati Iugurthae, largitione magis quam causa freti, paucis respondent: «Hiempsalem ob saevitiam suam ab Numidis interfectum; Adherbalem ultro bellum inferentem, postquam superatus sit, queri, quod iniuriam facere nequivisset: Iugurtham ab senatu petere, ne se alium puta-

2. *nae]* *ut* V. *ne* K. — 5. *reddet* K. — 15. *ex alienis opibus* V. — 16. *ne* V. — 19. *per, vos, liberos* Cortius. — 21. *mihi misero* V. — 24. *loquendi finem* V.

rent, ac Numantiae cognitus esset, neu verba inimici ante facta sua ponerent.» Deinde utrique curia egrediuntur. Senatus statim consulitur: fautores legatorum, praeterea magna pars gratia depravata, Adherbalis dicta contemnere, Iugurthae virtutem extollere laudibus; gratia, voce, denique omnibus modis pro alieno scelere et flagitio sua quasi pro gloria nitebantur. At contra pauci, quibus bonum et aequum divitiis carius erat, subveniundum Adherbali et Hiempsalis mortem severe vindicandam censebant; sed ex omnibus maxume Aemilius Scaurus, homo nobilis, inpiger, factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum, ceterum vitia sua callide occultans. Is postquam videt regis largitionem famosam inpudentemque, veritus, quod in tali re solet, ne polluta licentia invidiam accenderet, animum a consueta lubidine continuit.

16. Vicit tamen in senatu pars illa, quae vero pretium aut gratiam anteferebat. Decretum fit, uti decem legati regnum, quod Micipsa obtinuerat, inter Iugurtham et Adherbalem dividerent. Quoius legationis princeps fuit L. Opimius, homo clarus et tum in senatu potens, quia consul, G. Graccho et M. Fulvio Flacco interfectis, acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Iugurtha tametsi Romae in inimicis habuerat, tamen adcuratissume recepit, dando et pollicitando multa perfecit, uti famae, fide, postremo omnibus suis rebus commodum regis anteferret. Reliquos legatos eadem via adgressus, plerosque capit;

---

4. *praeterea senatus magna* V. *praetèrea [senatus] magna* G. — 5. *laudibus extollere* V. — 14. *fieri solet* V. — 21. *tunc* K. coni. — 24. *in inimicis]* Cod. Commel. K. *in amicis* ceteri Libri. V. G. — 25. *accepit* V. — 26. *pollicendo* V. — *fama* K. — *fidei* V.

paucis carior fides quam pecunia fuit. In divisione, quae pars Numidiae Mauretaniam adtingit, agro virisque opulentior, Iugurthae traditur: illam alteram specie quam usu potiorem, quae portuosior et aedificiis magis exornata erat, Adherbal possedit.

17. Res postulare videtur Africae situm paucis exponere et eas gentis, quibuscum nobis bellum aut amicitia fuit, adtingere. Sed quae loca et nationes ob calorem aut asperitatem, item solitudines minus frequentata sunt, de is haud facile compertum narraverim; cetera quam paucissumis absolvam. In divisione orbis terrae plerique in partem tertiam Africam posuere, pauci tantummodo Asiam et Europam esse, sed Africam in Europa. Ea finis habet ab occidente fretum nostri maris et Oceani, ab ortu solis declivem latitudinem, quem locum Katabathmon incolae adpellant. Mare saevom, inportuosum, ager frugum fertilis, bonus pecori, arbore infecundus, caelo terraque penuria aquarum. Genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum; plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro aut bestiis interiere; nam morbus haud saepe quemquam superat; ad hoc malefici generis pluruma animalia. Sed qui mortales initio Africam habuerint, quique postea accesserint, aut quomodo inter se permixti sint, quamquam ab ea fama, quae plerosque obtinet, divorsum est, tamen uti ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis dicebantur, interpretatum nobis est, utique rem sese habere cultores eius terrae putant, quam paucissumis dicam. Ceterum fides eius rei penes auctores erit.

---

2. *Mauritaniam* V. — 10. *de iis* V. *de his* G. — 12. *in parte tertia* V. G. — 18. *arbori* Fronto Ed. Rom. p. 163. — 20. *laboris* Fronto. — *Nec plerosque* Fronto.

18. Africam initio habuere Gaetuli et Libyes, asperi incultique, quis cibus erat caro ferina atque humi pabulum, uti pecoribus. Hi neque moribus neque lege aut imperio quoiusquam regebantur; vagi, palantes, qua nox coëgerat, sedes habebant. Sed postquam in Hispania Hercules, sicuti Afri putant, interiit, exercitus eius, compositus ex variis gentibus, amisso duce ac passim multis sibi quisque imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Persae et Armenii, navibus in Africam transvecti, proxumos nostro mari locos occupavere. Sed Persae intra Oceanum magis; hique alveos navium invorsos pro tuguriis habuere, quia neque materia in agris neque ab Hispanis emundi aut mutandi copia erat; mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant. Hi paullatim per connubia Gaetulos secum miscuere, et quia saepe temptantes agros alia, deinde alia loca petiverant, semet ipsi Nomadas adpellavere. Ceterum adhuc aedificia Numidarum agrestium, quae mapalia illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinae sunt. Medi autem et Armeniis accessere Libyes (nam hi propius mare Africum agitabant, Gaetuli sub sole magis, haud procul ab ardoribus;) hique mature oppida habuere; nam freto divisi ab Hispania mutare res inter se instituerant. Nomen eorum paullatim Libyes conrupere, barbara lingua Mauros pro Medis adpellantes. Sed res Persarum brevi adolevit; ac postea nomine Numidae, propter multitudinem a parentibus digressi, possedere ea loca, quae proxume Karthaginem Numidia

---

1. *Getuli* V. G. — 5. *quas* V. G. — 9. *Armeni* G. — 10. *trasvecti (travecti)* V. — 17. *deinde atque alia* V. — 18. *Numidas* V. — 21. *Medis* V. G. — *Armeniis* V. *Armenis* G. — 27. *Numidae nomine* V. — 29. *proxume Carthaginem* K. coni. *proxuma Carthagine* Arusianus p. 252. Lind.

adpellatur. Deinde utrique alteris freti finitumos armis aut metu sub imperium suum coëgere, nomen gloriamque sibi addidere; magis ii, qui ad nostrum mare processerant, quia Libyes quam Gaetuli minus bellicosi. Denique Africae pars inferior pleraque ab Numidis possessa est; victi omnes in gentem nomenque imperantium concessere.

19. Postea Phoenices, alii multitudinis domi minuendae gratia, pars imperi cupidine, sollicitata plebe et aliis novarum rerum avidis, Hipponem, Hadrumetum, Leptim aliasque urbis in ora marituma condidere, eaeque brevi multum auctae, pars originibus suis praesidio, aliae decori fuere. Nam de Karthagine silere melius puto quam parum dicere, quoniam alio properare tempus monet. Igitur ad Katabathmon, qui locus Aegyptum ab Africa dividit, secundo mari prima Cyrene est, colonia Theraeon, ac deinceps duae Syrtes, interque eas Leptis; deinde Philaenon arae, quem locum Aegyptum vorsus finem imperi habuere Karthaginienses, post aliae Punicae urbes. Cetera loca usque ad Mauretaniam Numidae tenent; proxume Hispaniam Mauri sunt. Super Numidiam Gaetulos accepimus partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare, post eos Aethiopas esse, dein loca exusta solis ardoribus. Igitur bello Iugurthino pleraque ex Punicis oppida et finis Karthaginiensium, quos novissume habuerant, populus Romanus per magistratus administrabat, Gaetulorum magna pars et Numidae usque ad flumen Mulucham sub Iugurtha

1. *Dein* G. — 10. *Adrumetum* V. — 11. *haeque* V. K. — 13. *tacere* K. ex uno Cod. Eccard. et Quinctil. II. 13, 14., ubi memoriter affert: *tacere satius.* — 17. *Thereon* V. G. — 18. *Arae Philenon* V. *Philenon arae* G. — 21. *proxumi Hispaniam* K. ex Arusiani l. l. *proxumi Hispania.*

erant, Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, praeter nomen cetera ignarus populi Romani, itemque nobis neque bello neque pace antea cognitus. De Africa et eius incolis ad necessitudinem rei satis dictum.

20. Postquam, diviso regno, legati Africa decessere, et Iugurtha contra timorem animi praemia sceleris adeptum sese videt, certum ratus, quod ex amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romae venalia esse, simul et illorum pollicitationibus accensus, quos paullo ante muneribus expleverat, in regnum Adherbalis animum intendit. Ipse acer, bellicosus; at is, quem petebat, quietus, inbellis, placido ingenio, opportunus iniuriae, metuens magis quam metuendus. Igitur ex inproviso finis eius cum magna manu invadit; multos mortalis cum pecore atque alia praeda capit, aedificia incendit, pleraque loca hostiliter cum equitatu accedit, deinde cum omni multitudine in regnum suum convortit, existumans dolore permotum Adherbalem iniurias suas manu vindicaturum, eamque rem belli causam fore. At ille, quod neque se parem armis existumabat et amicitia populi Romani magis quam Numidis fretus erat, legatos ad Iugurtham de iniuriis questum misit; qui tametsi contumeliosa dicta rettulerant, prius tamen omnia pati decrevit quam bellum sumere, quia temptatum antea secus cesserat. Neque eo magis cupido Iugurthae minuebatur, quippe qui totum eius regnum animo iam invaserat. Itaque non uti antea cum praedatoria manu, sed magno exercitu comparato bellum gerere coepit et aperte totius Numidiae imperium petere. Ceterum qua

---

7. *certum esse* V. — 18. *dolore permotum Adherbalem*] Einsied. Turic. V. K. *Adherbalem dolore permotum* G. — 27. *ut* K.

pergebat urbis, agros vastare, praedas agere, suis animum, hostibus terrorem augere.

21. Adherbal ubi intellegit eo processum, uti regnum aut relinquendum esset aut armis retinendum, necessario copias parat et Iugurthae obvius procedit. Interim haud longe a mari prope Cirtam oppidum utriusque exercitus consedit, et quia diei extremum erat, proelium non inceptum. Sed ubi plerumque noctis processit, obscuro etiamtum lumine, milites Iugurthini signo dato castra hostium invadunt; semisomnos partim, alios arma sumentis fugant funduntque; Adherbal cum paucis equitibus Cirtam profugit, et ni multitudo togatorum fuisset, quae Numidas insequentis moenibus prohibuit, uno die inter duos reges coeptum atque patratum bellum foret. Igitur Iugurtha oppidum circumsedit, vineis turribusque et machinis omnium generum expugnare adgreditur, maxume festinans tempus legatorum antecapere, quos ante proelium factum ab Adherbale Romam missos audiverat. Sed postquam senatus de bello eorum accepit, tres adulescentes in Africam legantur, qui ambos reges adeant, senatus populique Romani verbis nuntient: «Velle et censere eos ab armis discedere, de controvorsiis suis iure potius quam bello disceptare; ita seque illisque dignum esse.»

22. Legati in Africam maturantes veniunt, eo magis, quod Romae, dum proficisci parant, de proelio facto et oppugnatione Cirtae audiebatur; sed is rumor clemens erat. Quorum Iugurtha accepta oratione respondit: «Sibi neque maius quidquam neque carius auctoritate

---

4. *relinquendum aut armis retinendum esset* V. — 6. *consedit exercitus* K. — 7. *die* K. — 13. *a moenibus* V. — 23. om. vv. *de controvorsiis s. i. p. q. b. disceptare* bpel. V. Tuetur Cod. Turic.

senatus esse; ab adulescentia ita se enisum, ut ab optumo quoque probaretur; virtute, non malitia P. Scipioni, summo viro, placuisse; ob easdem artis ab Micipsa, non penuria liberorum, in regnum adoptatum esse. Ceterum quo plura bene atque strenue fecisset, eo animum suum iniuriam minus tolerare: Adherbalem dolis vitae suae insidiatum; quod ubi conperisset, sceleri eius obviam isse; populum Romanum neque recte neque pro bono facturum, si ab iure gentium sese prohibuerit; postremo de omnibus rebus legatos Romam brevi missurum.» Ita utrique digrediuntur. Adherbalis adpellandi copia non fuit.

23. Iugurtha ubi eos Africa decessisse ratus est, neque propter loci naturam Cirtam armis expugnare potest, vallo atque fossa moenia circumdat, turris exstruit easque praesidiis firmat, praeterea dies noctisque aut per vim aut dolis temptare, defensoribus moenium praemia modo, modo formidinem ostentare, suos hortando ad virtutem arrigere, prorsus intentus cuncta parare. Adherbal, ubi intellegit omnis suas fortunas in extremo sitas, hostem infestum, auxili spem nullam, penuria rerum necessariarum bellum trahi non posse, ex is, qui una Cirtam profugerant, duos maxume inpigros delegit; eos multa pollicendo ac miserando casum suum confirmat, uti per hostium munitiones noctu ad proxumum mare, dein Romam pergerent. Numidae paucis diebus iussa efficiunt; litterae Adherbalis in senatu recitatae, quarum sententia haec fuit:

24. «Non mea culpa saepe [ad] vos oratum mitto,

---

1. *senati* K. — *uti* K. — 3. *a* V. K. — 7. *eius sceleri* V. — 11. *copia appellandi* V. — 14. *naturam loci* V. — 21. *spem auxilii* V. — 23. *ex is*] Cod. Paris. *ex iis* V. *ex his* G. K. — 29. om. *ad* Cod. Vatic. Sine uncis V. G. K.

patres conscripti, sed vis Iugurthae subigit, quem tanta lubido exstinguendi me invasit, ut neque vos neque deos inmortalis in animo habeat, sanguinem meum quam omnia malit. Itaque quintum iam mensem socius et amicus populi Romani armis obsessus teneor, neque mihi Micipsae patris [mei] beneficia neque vostra decreta auxiliantur; ferro an fame acrius urguear incertus sum. Plura de Iugurtha scribere dehortatur me fortuna mea; et iam antea expertus sum parum fidei miseris esse. Nisi tamen intellego illum supra quam ego sum petere, neque simul amicitiam vostram et regnum meum sperare. Utrum gravius existumet, nemini occultum est. Nam initio occidit Hiempsalem, fratrem meum, dein patrio regno me expulit; quae sane fuerint nostrae iniuriae, nihil ad vos. Verum nunc vostrum regnum armis tenet, me, quem vos imperatorem Numidis posuistis, clausum obsidet; legatorum verba quanti fecerit, pericula mea declarant. Quid reliquum nisi vostra vis, quo moveri possit? Nam ego quidem vellem et haec, quae scribo, et illa, quae antea in senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret. Sed quoniam eo natus sum, ut Iugurthae scelerum ostentui essem, non iam mortem neque aerumnas, tantummodo inimici imperium et cruciatus corporis deprecor. Regno Numidiae, quod vostrum est, uti lubet consulite; me ex manibus inpiis eripite per maiestatem imperi, per amicitiae fidem, si ulla apud vos memoria remanet avi mei Masinissae.»

---

2. *uti* K. — 6. om. *mei* Vatic. Cortius. Sine uncis G. K. — 7. *incertum est* Vatic. — 8. om. *me* V. — 9. *et iam*] Kritzius. *etiam* V. G. — *ante* V. — 14. *deinde* V. K. — 15. *regnum vestrum* V. — 18. *quid est reliquum* Vatic. — *vestra vis commoveri* Vatic. *vis vostra, quo* (*qua* V.) *moveri* V. K. G. — 20. *scripsi* Vatic. — 24. *cruciatum* V. — 26. *me manibus* K.

25. His litteris recitatis fuere, qui exercitum in Africam mittendum censerent et quam primum Adherbali subveniundum; de Iugurtha interim uti consuleretur, quoniam legatis non paruisset. Sed ab isdem illis regis fautoribus summa ope enisum, ne tale decretum fieret. Ita bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum. Legantur tamen in Africam maiores natu, nobiles, amplis honoribus usi; in quis fuit M. Scaurus, de quo supra memoravimus, consularis et tum in senatu princeps. Hi, quod res in invidia erat, simul et ab Numidis obsecrati, triduo navim ascendere, dein brevi Uticam adpulsi litteras ad Iugurtham mittunt, quam ocissume ad provinciam accedat, seque ad eum ab senatu missos. Ille ubi accepit homines claros, quorum auctoritatem Romae pollere audiverat, contra inceptum suum venisse, primo conmotus, metu atque lubidine divorsus agitabatur. Timebat iram senatus, ni paruisset legatis; porro animus cupidine caecus ad inceptum scelus rapiebat. Vicit tamen in avido ingenio pravum consilium. Igitur exercitu circumdato summa vi Cirtam inrumpere nititur, maxume sperans, diducta manu hostium aut vi aut dolis sese casum victoriae inventurum. Quod ubi secus procedit neque quod intenderat efficere potest, ut prius quam legatos conveniret, Adherbalis potiretur; ne amplius morando Scaurum, quem plurumum metuebat, incenderet, cum paucis equitibus in provinciam venit. Ac tametsi senati verbis graves minae nuntiabantur, quod ab oppugnatione non desisteret, multa tamen oratione consumpta legati frustra discessere.

---

4. *non paruisset legatis* V. — 7. *devictum est* V. — 10. *tunc* K. — *tum senatus* V. — 11. *in invidia res* V. — 12. *deinde* K. — 14. *se* V. — 18. *senati* K. — 19. *rapiebatur* V. G. — 24. *uti* K. — 28. *senatus* V.

26. Ea postquam Cirtae audita sunt, Italici, quorum virtute moenia defensabantur, confisi deditione facta propter magnitudinem populi Romani inviolatos sese fore, Adherbali suadent, uti seque et oppidum Iugurthae tradat, tantum ab eo vitam paciscatur, de ceteris senatui curae fore. At ille, tametsi omnia potiora fide Iugurthae rebatur, tamen quia penes eosdem, si advorsaretur, cogundi potestas erat, ita, uti censuerant Italici, deditionem facit. Iugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat, deinde omnis puberes Numidas atque negotiatores promiscue, uti quisque armatis obvius fuerat, interficit.

27. Quod postquam Romae cognitum est, et res in senatu agitari coepta, idem illi ministri regis interpellando ac saepe gratia, interdum iurgiis trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant. Ac ni C. Memmius, tribunus plebis designatus, vir acer et infestus potentiae nobilitatis, populum Romanum edocuisset id agi, ut per paucos factiosos Iugurthae scelus condonaretur, profecto omnis invidia prolatandis consultationibus dilapsa foret: tanta vis gratiae atque pecuniae regis erat. Sed ubi senatus delicti conscientia populum timet, lege Sempronia provinciae futuris consulibus Numidia atque Italia decretae; consules declarati P. Scipio Nasica, L. Bestia Calpurnius; Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit; deinde exercitus, qui in Africam portaretur, scribitur; stipendium aliaque, quae bello usui forent, decernuntur.

28. At Iugurtha, contra spem nuntio accepto, quippe quoi Romae omnia venum ire in animo haeserat, filium

---

10. *atque*] *et* K. — 11. *armatus* V. G. — 12. *interfecit* K. — 19. *uti* V. K. — 24. *decretae sunt* V. — 25. *Numidia Calpurnio* V.

et cum eo duos familiaris ad senatum legatos mittit, hisque ut illis, quos Hiempsale interfecto miserat, praecipit, omnis mortalis pecunia adgrediantur. Qui postquam Romam adventabant, senatus a Bestia consultus est, placeretne legatos Iugurthae recipi moenibus; iique decrevere, nisi regnum ipsumque deditum venissent, uti in diebus proxumis decem Italia decederent. Consul Numidis ex senati decreto nuntiari iubet; ita infectis rebus illi domum discedunt. Interim Calpurnius, parato exercitu, legat sibi homines nobilis, factiosos, quorum auctoritate, quae deliquisset, munita fore sperabat; in quis fuit Scaurus, quoius de natura et habitu supra memoravimus. Nam in consule nostro multae bonaeque artes animi et corporis erant, quas omnis avaritia praepediebat; patiens laborum, acri ingenio, satis providens, belli haud ignarus, firmissumus contra pericula et insidias. Sed legiones per Italiam Rhegium atque inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectae. Igitur Calpurnius initio, paratis commeatibus, acriter Numidiam ingressus est, multosque mortalis et urbis aliquot pugnando cepit.

29. Sed ubi Iugurtha per legatos pecunia temptare bellique quod administrabat asperitatem ostendere coepit, animus aeger avaritia facile convorsus est. Ceterum socius et administer omnium consiliorum adsumitur Scaurus, qui tametsi a principio, plerisque ex factione eius conruptis, acerrume regem inpugnaverat, tamen magnitudine pecuniae a bono honestoque in pravom abstractus est. Sed Iugurtha primo tantummodo belli

---

2. *iisque* V. — *praecepit* V. K. — 5. *hique* G. — 8. *senatus* V. — 10. *legit* V. — 13. *bonas* V. — 18. *inde in* V. — 22. *pecunia per legatos* V. — 29. *primum* G.

moram redimebat, existumans sese aliquid interim Romae pretio aut gratia effecturum; postea vero quam participem negoti Scaurum accepit, in maxumam spem adductus recuperandae pacis, statuit cum eis de omnibus pactionibus praesens agere. Ceterum interea fidei causa mittitur a consule Sextius quaestor in oppidum Iugurthae Vagam; quoius rei species erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat, quoniam deditionis mora induciae agitabantur. Igitur rex, uti constituerat, in castra venit, ac pauca praesenti consilio locutus de invidia facti sui atque uti in deditionem acciperetur, reliqua cum Bestia et Scauro secreta transigit, dein postero die, quasi per saturam sententiis exquisitis, in deditionem accipitur. Sed uti pro consilio imperatum erat, elephanti triginta, pecus atque equi multi cum parvo argenti pondere quaestori traduntur. Calpurnius Romam ad magistratus rogandos proficiscitur. In Numidia et exercitu nostro pax agitabatur.

30. Postquam res in Africa gestas quoque modo actae forent fama divolgavit, Romae per omnis locos et conventus de facto consulis agitari. Apud plebem gravis invidia, patres solliciti erant; probarentne tantum flagitium, an decretum consulis subvorterent, parum constabat. Ac maxume eos potentia Scauri, quod is auctor et socius Bestiae ferebatur, a vero bonoque inpediebat. At C. Memmius, quoius de libertate ingeni et odio potentiae nobilitatis supra diximus, inter dubi-

---

4. *cum his* V. — 7. *Vaccam* V. G. — 9. *indutiae* V. — 11. *sui facti* V. — *in deditionem uti* K. — 12. *transegit* V. — 13. *per Saturam legem* V. — 14. *exquisitis sententiis* K. — 16. *non cum* V. — 18. *et in* V. — 25. *At* V.

tationem et moras senatus contionibus populum ad vindicandum hortari, monere, ne rem publicam, ne libertatem suam desererent, multa superba et crudelia facinora nobilitatis ostendere; prorsus intentus omni modo plebis animum accendebat. Sed quoniam ea tempestate Romae Memmi facundia clara pollensque fuit, decere existumavi unam ex tam multis orationem eius perscribere, ac potissumum ea dicam, quae in contione post reditum Bestiae huiuscemodi verbis disseruit.

31. «Multa me dehortantur a vobis, Quirites, ni studium rei publicae omnia superet, opes factionis, vostra patientia, ius nullum, ac maxume, quod innocentiae plus periculi quam honoris est. Nam illa quidem piget dicere, his annis XX. quam ludibrio fueritis superbiae paucorum, quam foede quamque inulti perierint vostri defensores, ut vobis animus ab ignavia atque socordia conruptus sit, qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exsurgitis, atque etiamnunc timetis eos, quibus decet terrori esse. Sed quamquam haec talia sunt, tamen obviam ire factionis potentiae animus subigit. Certe ego libertatem, quae mihi a parente meo tradita est, experiar; verum id frustra an ob rem faciam, in vostra manu situm est, Quirites. Neque ego vos hortor, quod saepe maiores vostri fecere, uti contra iniurias armati eatis. Nihil vi, nihil secessione opus est: necesse est suomet ipsi more praecipites eant. Occiso Ti. Graccho, quem regnum parare aiebant, in plebem Romanam quaestiones habitae sunt. Post G. Gracchi et M. Fulvi cae-

---

1. *senati* K. — 8. *eam* V. — *quam* V. — 14. *XX.*] Victorius. Rursus auctore Cortio Kritzius. *quindecim* Libri. G. — 15. *inulti*] *multi* V. — 17. *obnoxii* V. — 19. *vos decet* V. Kritzii typotheta. — 27. *quaestiones graves* V.

dem item vostri ordinis multi mortales in carcere necati sunt; utriusque cladis non lex, verum lubido eorum finem fecit. Sed sane fuerit regni paratio plebi sua restituere; quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, iure factum sit. Superioribus annis taciti indignabamini aerarium expilari, reges et populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere, penes eosdem et summam gloriam et maxumas divitias esse; tamen haec talia facinora inpune suscepisse parum habuere. Itaque postremo leges, maiestas vostra, divina et humana omnia hostibus tradita sunt. Neque eos, qui ea fecere, pudet aut poenitet, sed incedunt per ora vostra magnifici, sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes, perinde quasi ea honori non praedae habeant. Servi aere parati iniusta imperia dominorum non perferunt; vos, Quirites, imperio nati, aequo animo servitutem toleratis? At qui sunt hi qui rem publicam occupavere? Homines sceleratissumi, cruentis manibus, inmani avaritia, nocentissumi idemque superbissumi, quibus fides, decus, pietas, postremo honesta atque inhonesta omnia quaestui sunt. Pars eorum occidisse tribunos plebis, alii quaestiones iniustas, plerique caedem in vos fecisse, pro munimento habent. Ita quam quisque pessume fecit, tam maxume tutus est; metum a scelere suo ad ignaviam vostram transtulere; quos omnis eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coëgit. Sed haec inter bonos amicitia, inter malos factio est. Quodsi tam vos libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt,

---

1. *vestri item* V. — 4. *nequit* V. — 12. *magnifice* V. — 15. *imperia iniusta* K. — 16. *in imperio* V. G. — 17. *ii* G. — 20. *quis* K. — 26. om. *eadem cupere* Kritzii typotheta.

profecto neque res publica, sicuti nunc, vastaretur, et beneficia vostra penes optumos, non audacissumos, forent. Maiores vostri parandi iuris et maiestatis constituendae gratia bis per secessionem armati Aventinum occupavere, vos pro libertate, quam ab illis accepistis, non summa ope nitemini? atque eo vehementius, quo maius dedecus est parta amittere quam omnino non paravisse. Dicet aliquis: Quid igitur censes? Vindicandum in eos, qui hosti prodidere rem publicam? Non manu neque vi, quod magis vos fecisse quam illis accidisse indignum est, verum quaestionibus et indicio ipsius Iugurthae, qui si dediticius est, profecto iussis vostris obediens erit; sin ea contemnit, scilicet existumabitis, qualis illa pax aut deditio sit, ex qua ad Iugurtham scelerum inpunitas, ad paucos potentis maxumae divitiae, in rem publicam damna atque dedecora pervenerint. Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet, et illa quam haec tempora magis placent, quom regna, provinciae, leges, iura, iudicia, bella atque paces, postremo divina et humana omnia penes paucos erant; vos autem, hoc est, populus Romanus, invicti ab hostibus, imperatores omnium gentium, satis habebatis animam retinere; nam servitutem quidem quis vostrum recusare audebat? Atque ego, tametsi viro flagitiosissumum existumo inpune iniuriam accepisse, tamen vos hominibus sceleratissumis ignoscere, quoniam cives sunt, aequo animo paterer, ni misericordia in perniciem casura esset. Nam et illis, quan-

4. *Aventinum montem* V. — 6. *nonne* V. G. — *quod* K. — 8. *paruisse* V. — 16. *in*] *ad* V. — 17. *dominationis eorum satietas nondum etiam vos* V. — 25. *virum* V. om. *viro* K. — 26. *sceleratissimis hominibus* V. — 27. *nisi* V. K.

tum inportunitatis habent, parum est inpune male fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripitur, et vobis aeterna sollicitudo remanebit, quom intellegetis aut serviundum esse aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem aut concordiae quae spes est? Dominari illi volunt, vos liberi esse, facere illi iniurias, vos prohibere; postremo sociis vostris veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur. Potestne in tam divorsis mentibus pax aut amicitia esse? Quare moneo hortorque vos, ne tantum scelus inpunitum omittatis. Non peculatus aerari factus est, neque per vim sociis ereptae pecuniae, quae quamquam gravia sunt, tamen consuetudine iam pro nihilo habentur: hosti acerrumo prodita senatus auctoritas, proditum imperium vostrum, domi militiaeque res publica venalis fuit. Quae nisi quaesita erunt, nisi vindicatum in noxios, quid erit reliquum, nisi ut illis, qui ea fecere, obedientes vivamus? Nam inpune quaelibet facere, id est regem esse. Neque ego vos, Quirites, hortor, ut malitis civis vostros perperam quam recte fecisse, sed ne ignoscendo malis bonos perditum eatis. Ad hoc in re publica multo praestat benefici quam malefici inmemorem esse; bonus tantummodo segnior fit, ubi neglegas, at malus inprobior. Ad hoc si iniuriae non sint, haud saepe auxili egeas.»

32. Haec atque alia huiuscemodi saepe dicundo Memmius populo persuadet, uti L. Cassius, qui tum praetor erat, ad Iugurtham mitteretur eumque interposita fide publica Romam duceret, quo facilius indicio regis Scauri et reliquorum, quos pecuniae captae ar-

---

10. *dimittatis* V. — 13. *senati* K. — 15. *ni vindicatum* K. — 17. *quidlibet* V. — 26. *C. Memmius* V. — *populo Romano* V. — *tunc* K. — 29. *accersebant* G.

cessebant, delicta patefierent. Dum haec Romae geruntur, qui in Numidia relicti a Bestia exercitui praeerant, secuti morem imperatoris sui plurima et flagitiosissuma facinora fecere. Fuere, qui auro conrupti elephantos Iugurthae traderent; alii perfugas vendere, pars ex pacatis praedas agebant; tanta vis avaritiae in animos eorum veluti tabes invaserat. At Cassius, perlata rogatione a G. Memmio ac perculsa omni nobilitate, ad Iugurtham proficiscitur eique timido et ex conscientia diffidenti rebus suis persuadet, quoniam se populo Romano dedisset, ne vim quam misericordiam eius experiri mallet. Privatim praeterea fidem suam interponit, quam ille non minoris quam publicam ducebat; talis ea tempestate fama de Cassio erat.

33. Igitur Iugurtha contra decus regium cultu quam maxume miserabili cum Cassio Romam venit. Ac tametsi in ipso magna vis animi erat, confirmatus ab omnibus, quorum potentia aut scelere cuncta ea gesserat, quae supra diximus, G. Baebium tribunum plebis magna mercede parat, quoius inpudentia contra ius et iniurias omnis munitus foret. At G. Memmius, advocata contione, quamquam regi infesta plebes erat, et pars in vincula duci iubebat, pars, ni socios sceleris sui aperiret, more maiorum de hoste supplicium sumi; dignitati quam irae magis consulens, sedare motus et animos eorum mollire, postremo confirmare, fidem publicam per sese inviolatam fore. Post, ubi silentium coepit, producto Iugurtha, verba facit; Romae Numidiaeque facinora eius memorat, scelera in patrem fra-

2. *exercitu* K. — 5. *venderent* V. — 6. *agerent* V. — 7. om. *in* V. K. — *Cassius praetor* V. — 11. *dedidisset* V. — 23. *nisi* V. — 25. *magis quam irae* V.

tresque ostendit. Quibus iuvantibus quibusque ministris ea egerit, quamquam intellegat populus Romanus, tamen velle manifesta magis ex illo habere. Si verum aperiat, in fide et clementia populi Romani magnam spem illi sitam; sin reticeat, non sociis saluti fore, sed se suasque spes corrupturum.

34. Deinde, ubi Memmius dicundi finem fecit et Iugurtha respondere iussus est, G. Baebius, tribunus plebis, quem pecunia corruptum supra diximus, regem tacere iubet, ac tametsi multitudo, quae in contione aderat, vehementer accensa, terrebat eum clamore, voltu, saepe inpetu atque aliis omnibus, quae ira fieri amat, vicit tamen inpudentia. Ita populus ludibrio habitus ex contione discedit: Iugurthae Bestiaeque et ceteris, quos illa quaestio exagitabat, animi augescunt.

35. Erat ea tempestate Romae Numida quidam, nomine Massiva, Gulussae filius, Masinissae nepos; qui, quia in dissensione regum Iugurthae advorsus fuerat, dedita Cirta et Adherbale interfecto, profugus ex Africa abierat. Huic Sp. Albinus, qui proxumo anno post Bestiam cum Q. Minucio Rufo consulatum gerebat, persuadet, quoniam ex stirpe Masinissae sit, Iugurthamque ob scelera invidia cum metu urgueat, regnum Numidiae ab senatu petat. Avidus consul belli gerundi moveri quam senescere omnia malebat; ipsi provincia Numidia, Minucio Macedonia evenerat. Quae postquam Massiva agitare coepit, neque Iugurthae in amicis satis praesidi est, quod eorum alium conscientia, alium mala fama et timor inpediebat, Bomilcari, proxumo ac maxume fido sibi, imperat, pretio, sicuti multa confecerat, in-

5. *socios* K. coni. — 20. *is, qui* V. — 22. *e* V. — *Iugurtham* V. — 25. *movere* G. — 30. *sicut* V.

sidiatores Massivae paret, ac maxume occulte, sin id parum procedat, quovis modo Numidam interficiat. Bomilcar mature regis mandata exsequitur, et per homines talis negoti artifices itinera egressusque eius, postremo loca atque tempora cuncta explorat, deinde, ubi res postulabat, insidias tendit. Igitur unus ex eo numero, qui ad caedem parati erant, paullo inconsultius Massivam adgreditur; illum obtruncat, sed ipse deprehensus, multis hortantibus et in primis Albino consule, indicium profitetur. Fit reus magis ex aequo bonoque quam ex iure gentium Bomilcar, comes eius, qui Romam fide publica venerat. At Iugurtha manifestus tanti sceleris non prius omisit contra verum niti, quam animum advortit, supra gratiam atque pecuniam suam invidiam facti esse. Igitur, quamquam in priore actione ex amicis quinquaginta vades dederat, regno magis quam vadibus consulens, clam in Numidiam Bomilcarem dimittit, veritus ne reliquos popularis metus invaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumptum foret. Et ipse paucis diebus eodem profectus est, iussus a senatu Italia decedere. Sed postquam Roma egressus est, fertur saepe eo tacitus respiciens postremo dixisse: «urbem venalem et mature perituram, si emptorem invenerit.»

36. Interim Albinus renovato bello commeatum, stipendium aliaque, quae militibus usui forent, maturat in Africam portare; ac statim ipse profectus, uti ante comitia, quod tempus haud longe aberat, armis aut deditione aut quovis modo bellum conficeret. At contra Iugurtha trahere omnia et alias deinde alias morae causas facere, polliceri deditionem, ac deinde metum

13. *animadvertit* V. — 14. *super* V. — 20. om. *eodem* V K. — *ab* K. — 22. *eo saepe* V.

simulare, cedere instanti et paullo post, ne sui diffiderent, instare; ita belli modo, modo pacis mora consulem ludificari. Ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum consili regis existumarent, neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum socordia magis quam dolo crederent. Sed postquam dilapso tempore comitiorum dies adventabat, Albinus, Aulo fratre in castris pro praetore relicto, Romam decessit.

37. Ea tempestate Romae seditionibus tribuniciis atrociter res publica agitabatur. P. Lucullus et L. Annius, tribuni plebis, resistentibus conlegis, continuare magistratum nitebantur, quae dissensio totius anni comitia inpediebat. Ea mora in spem adductus Aulus, quem pro praetore in castris relictum supra diximus, aut conficiundi belli aut terrore exercitus ab rege pecuniae capiundae, milites mense Ianuario ex hibernis in expeditionem evocat, magnisque itineribus, hieme aspera, pervenit ad oppidum Suthul, ubi regis thesauri erant. Quod quamquam et saevitia temporis et opportunitate loci neque capi neque obsideri poterat, (nam circum murum situm in praerupti montis extremo planities limosa hiemalibus aquis paludem fecerat) tamen aut simulandi gratia, quo regi formidinem adderet, aut cupidine caecus ob thesauros oppidi potiundi, vineas agere, aggerem iacere, aliaque, quae incepto usui forent, properare.

38. At Iugurtha, cognita vanitate atque inperitia legati, subdolus eius augere amentiam, missitare supplicantis legatos, ipse quasi vitabundus per saltuosa loca

1. *instanti cedere* V. K. — 3. *ludificari*] auctore Arusiano p. 245. K. *ludificare* Libri. V. G. — 10. *P. Lucullus*] *L. Lucilius* V. — 14. *propraetorem* V. — 17. *magnis*[*que*] G. — 28. *subdole* V.

et tramites exercitum ductare. Denique Aulum spe pactionis perpulit, uti relicto Suthule in abditas regiones sese veluti cedentem insequeretur; «ita delicta occultiora fore.» Interea per homines callidos diu noctuque turmarum partim uti transfugerent corrumpere, alii signo dato locum uti desererent. Quae postquam ex sententia instruit, intempesta nocte de inproviso multitudine Numidarum Auli castra circumvenit. Milites Romani, perculsi tumultu insolito, arma capere alii, alii se abdere, pars territos confirmare, trepidare omnibus locis; vis magna hostium, caelum nocte atque nubibus obscuratum, periculum anceps, postremo fugere an manere tutius foret, in incerto erat. Sed ex eo numero, quos paullo ante corruptos diximus, cohors una Ligurum cum duabus turmis Thracum et paucis gregariis militibus transiere ad regem, et centurio primi pili tertiae legionis per munitionem, quam uti defenderet acceperat, locum hostibus introeundi dedit, eaque Numidae cuncti inrupere. Nostri foeda fuga, plerique abiectis armis, proxumum collem occupavere. Nox atque praeda castrorum hostis, quo minus victoria uterentur, remorata sunt. Deinde Iugurtha postero die cum Aulo in conloquio verba facit: «tametsi ipsum cum exercitu fame et ferro clausum tenet, tamen se memorem humanarum rerum, si secum foedus faceret, incolumis omnis sub iugum missurum; praeterea uti diebus decem Numidia decederet.» Quae quamquam gravia et flagiti plena erant, tamen, quia mortis metu mutabantur, sicuti regi lubuerat, pax convenit.

3. [*ita delicta occultiora fuere.*] G. — 4. *die* V. K. — 7. *instruxit* V. — 9. *capere: alii se* V. — 10. *trepidare; omnibus locis vis* V. — 23. *ferroque* V. K. — 24. *humanarum rerum memorem* V. K. — 28. *mutabant* K.

39. Sed ubi ea Romae conperta sunt, metus atque maeror civitatem invasere. Pars dolere pro gloria imperi, pars insolita rerum bellicarum timere libertati, Aulo omnes infesti, ac maxume, qui bello saepe praeclari fuerant, quod armatus dedecore potius quam manu salutem quaesiverat. Ob ea consul Albinus ex delicto fratris invidiam ac deinde periculum timens, senatum de foedere consulebat, et tamen interim exercitui supplementum scribere, ab sociis et nomine Latino auxilia accersere, denique omnibus modis festinare. Senatus ita, uti par fuerat, decernit, suo atque populi iniussu nullum potuisse foedus fieri. Consul inpeditus a tribunis plebis, ne, quas paraverat copias, secum portaret, paucis diebus in Africam proficiscitur; nam omnis exercitus, uti convenerat, Numidia deductus, in provincia hiemabat. Postquam eo venit, quamquam persequi Iugurtham et mederi fraternae invidiae animo ardebat, cognitis militibus, quos praeter fugam, soluto imperio, licentia atque lascivia corruperat, ex copia rerum statuit sibi nihil agitandum.

40. Interim Romae C. Mamilius Limetanus tribunus plebis rogationem ad populum promulgat, uti quaereretur in eos, quorum consilio Iugurtha senati decreta neglegisset, quique ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepissent, qui elephantos quique perfugas tradidissent, item qui de pace aut bello cum hostibus pactiones fecissent. Huic rogationi partim conscii sibi, alii ex partium invidia pericula metuentes, quoniam aperte resistere non poterant, quin illa et alia talia placere sibi faterentur, occulte per amicos ac maxume

8. *exercitu* K. — 10. *modis omnibus* K. — 17. *animus* K. — 19. *nihil sibi* V. — 21. *Interea* K. — *Limitanus* V. — 24. *neglexisset* V.

per homines nominis Latini et socios Italicos inpedimenta parabat. Sed plebes incredibile memoratu est, quam intenta fuerit quantaque vi rogationem iusserit, decreverit, voluerit: magis odio nobilitatis, quoi mala illa parabantur, quam cura rei publicae; tanta lubido in partibus erat. Igitur ceteris metu perculsis, M. Scaurus, quem legatum Bestiae fuisse supra docuimus, inter laetitiam plebis et suorum fugam, trepida etiamtum civitate, quom ex Mamili rogatione tres quaesitores rogarentur, effecerat, uti ipse in eo numero crearetur. Sed quaestio exercita aspere violenterque ex rumore et lubidine plebis; ut saepe nobilitatem, sic ea tempestate plebem ex secundis rebus insolentia ceperat.

41. Ceterum mos partium popularium et senatus factionum, ac deinde omnium malarum artium paucis ante annis Romae ortus est otio atque abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt. Nam ante Karthaginem deletam populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rem publicam tractabant, neque gloriae neque dominationis certamen inter civis erat; metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed ubi illa formido mentibus decessit, scilicet ea, quae res secundae amant, lascivia atque superbia incessere. Ita, quod in advorsis rebus optaverant otium, postquam adepti sunt, asperius acerbiusque fuit. Namque coepere nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vortere, sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partis abstracta sunt, res publica, quae

4. [*decreverit, voluerit*] G. — 7. om. *fuisse* G. — 11. *quaestione* V. — 14. *senati* K. — 16. *et ab.* K. — 22. *decessit*] bl. V. K. *discessit* G. — 23. *secundae res* V. K. — 26. *dignitatem in superbiam* V. *dignitatem in dominationem* K. utrumque ex interpolatione. — *populus*] *plebes* V.

media fuerat, dilacerata. Ceterum nobilitas factione magis pollebat, plebis vis soluta atque dispersa in multitudine minus poterat. Paucorum arbitrio belli domique agitabatur, penes eosdem aerarium, provinciae, magistratus, gloriae triumphique erant; populus militia atque inopia urguebatur; praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant; interea parentes aut parvi liberi militum, uti quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur. Ita cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere, polluere et vastare omnia, nihil pensi neque sancti habere, quoad semet ipsa praecipitavit. Nam ubi primum ex nobilitate reperti sunt, qui veram gloriam iniustae potentiae anteponerent, moveri civitas et dissensio civilis quasi permixtio terrae oriri coepit.

42. Nam postquam Tiberius et G. Gracchus, quorum maiores Punico atque aliis bellis multum rei publicae addiderant, vindicare plebem in libertatem et paucorum scelera patefacere coepere, nobilitas noxia atque eo perculsa, modo per socios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos, quos spes societatis a plebe dimoverat, Gracchorum actionibus obviam ierat, et primo Tiberium, dein paucos post annos eadem ingredientem Gaium, tribunum alterum, alterum triumvirum coloniis deducundis, cum M. Fulvio Flacco ferro necaverat. Et sane Gracchis cupidine victoriae haud satis moderatus animus fuit: sed bono vinci satius est quam malo more iniuriam vincere. Igitur ea victoria nobilitas ex lubidine sua usa multos mortalis ferro aut fuga exstinxit, plusque in reliquum sibi timoris quam potentiae

---

2. *in multitudine dispersa* V. — 8. *ut* K. — (14. *permixtio civilis quasi discessio terrae* Cortius coni.) — 24. *tribunum pl.* V.

addidit. Quae res plerumque magnas civitatis pessum dedit, dum alteri alteros vincere quovis modo et victos acerbius ulcisci volunt. Sed de studiis partium et omnis civitatis moribus si singulatim aut pro magnitudine parem disserere, tempus quam res maturius me deseret. Quamobrem ad inceptum redeo.

43. Post Auli foedus exercitusque nostri foedam fugam, Metellus et Silanus consules designati, provincias inter se partiverant, Metelloque Numidia evenerat, acri viro et quamquam advorso populi partium, fama tamen aequabili et inviolata. Is ubi primum magistratum ingressus est, alia omnia sibi cum conlega ratus, ad bellum, quod gesturus erat, animum intendit. Igitur diffidens veteri exercitui, milites scribere, praesidia undique accersere, arma, tela, equos et cetera instrumenta militiae parare, ad hoc commeatum adfatim, denique omnia, quae in bello vario et multarum rerum egenti usui esse solent. Ceterum ad ea patranda senatus auctoritate, socii nomenque Latinum et reges ultro auxilia mittendo, postremo omnis civitas summo studio adnitebatur. Itaque ex sententia omnibus rebus paratis conpositisque, in Numidiam proficiscitur, magna spe civium, quom propter artis bonas, tum maxume, quod advorsum divitias invictum animum gerebat, et avaritia magistratuum ante id tempus in Numidia nostrae opes contusae hostiumque auctae erant.

44. Sed ubi in Africam venit, exercitus ei traditur

---

3. *et omnibus* V. — 4. *singillatim* V. — (5. *deserat* Cortius.) — 8. *Q. Metellus et M. Silanus* K. — 10. *partibus* V. — 12. *cum collega communia* V. — 19. *senatus* (nominat.) *auctoritate, socii*] V. *senatus auctoritate socii* G. K. — 20. *mittere* K. — 23. *propter alias bonas artes* V. *propter bonas artis* K. — 27. *traditur Sp. Albini proconsulis* K. contra auctoritatem Frontonis Ed. Rom. p. 163.

a Sp. Albino pro consule iners, inbellis, neque periculi neque laboris patiens, lingua quam manu promptior, praedator ex sociis et ipse praeda hostium, sine imperio et modestia habitus. Ita imperatori novo plus ex malis moribus sollicitudinis quam ex copia militum auxili aut spei bonae accedebat. Statuit tamen Metellus, quamquam et aestivorum tempus comitiorum mora inminuerat, et exspectatione eventus civium animos intentos putabat, non prius bellum adtingere quam maiorum disciplina milites laborare coëgisset. Nam Albinus, Auli fratris exercitusque clade perculsus, postquam decreverat non egredi provincia, quantum temporis aestivorum in imperio fuit, plerumque milites stativis castris habebat, nisi quom odos aut pabuli egestas locum mutare subegerat. Sed neque muniebantur ea, neque more militari vigiliae deducebantur; uti quoique lubebat, ab signis aberat; lixae permixti cum militibus diu noctuque vagabantur; palantes agros vastare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum praedas certantes agere, eaque mutare cum mercatoribus vino advectitio et aliis talibus; praeterea frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari; postremo, quaecunque dici aut fingi queunt ignaviae luxuriaeque probra, ea in illo exercitu cuncta fuere et alia amplius.

45. Sed in ea difficultate Metellum non minus quam in rebus hostilibus magnum et sapientem virum fuisse conperior; tanta temperantia inter ambitionem saevitiamque moderatum: namque edicto primum adiumenta

---

2. *laborum* Fronto. — 13. *in stativis* Fronto. V. — 14. *odor* V. — 15. om. vv. *neque muniebantur ea* V. ut Libri tantum non omnes. *neque muniebantur* om. *ea* Fronto. — 16. *ducebantur* V. — 17. *dis* V. K. (*dis* firmat Fronto.) — 18. *palantes*] Fronto. *et palantes* V. G. K. — 23. *ea in*] Fronto. *in* V. G. K. — 28. *primo* V.

ignaviae sustulisse, ne quisquam in castris panem aut quem alium coctum cibum venderet, ne lixae exercitum sequerentur, ne miles gregarius in castris neve in agmine servom aut iumentum haberet; ceteris arte modum statuisse. Praeterea transvorsis itineribus cotidie castra movere, iuxta ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire, vigilias crebras ponere et eas ipse cum legatis circumire, item in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse, ne quisquam ordine egrederetur, uti cum signis frequentes incederent, miles cibum et arma portaret. Ita prohibendo a delictis magis quam vindicando exercitum brevi confirmavit.

46. Interea Iugurtha, ubi quae Metellus agebat ex nuntiis accepit, simul de innocentia eius certior Romae factus, diffidere suis rebus ac tum demum veram deditionem facere conatus est. Igitur legatos ad consulem cum suppliciis mittit, qui tantummodo ipsi liberisque vitam peterent, alia omnia dederent populo Romano. Sed Metello iam antea experimentis cognitum erat genus Numidarum infidum, ingenio mobili, novarum rerum avidum esse. Itaque legatos alium ab alio divorsos adgreditur, ac paullatim temptando, postquam opportunos sibi cognovit, multa pollicendo persuadet, uti Iugurtham maxume vivom, sin id parum procedat, necatum sibi traderent; ceterum palam, quae ex voluntate forent, regi nuntiari iubet. Deinde ipse paucis diebus intento atque infesto exercitu in Numidiam procedit, ubi contra belli faciem tuguria plena hominum, pecora cultoresque in agris erant; ex oppidis et mapalibus

9. *quispiam* G. — 10. *ut* V. — 26. Alii distinguunt: *quae ex voluntate forent regi, nuntiari iubet.* — 30. *mappalibus* G.

praefecti regis obvii procedebant, parati frumentum dare, conmeatum portare, postremo omnia, quae imperarentur, facere. Neque Metellus idcirco minus, sed pariter ac si hostes adessent, munito agmine incedere, late explorare omnia, illa deditionis signa ostentui credere et insidiis locum temptari. Itaque ipse cum expeditis cohortibus, item funditorum et sagittariorum delecta manu apud primos erat, in postremo G. Marius legatus cum equitibus curabat, in utrumque latus auxiliarios equites tribunis legionum et praefectis cohortium dispertiverat, ut cum his permixti velites, quocunque accederent equitatus hostium, propulsarent. Nam in Iugurtha tantus dolus tantaque peritia locorum et militiae erat, ut absens an praesens, pacem an bellum gerens perniciosior esset, in incerto haberetur.

47. Erat haud longe ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum Numidarum, nomine Vaga, forum rerum venalium totius regni maxume celebratum, ubi et incolere et mercari consueverant Italici generis multi mortales. Huc consul simul temptandi gratia, et si paterentur, opportunitatis loci, praesidium inposuit; praeterea imperavit frumentum et alia, quae bello usui forent, conportare, ratus id quod res monebat, frequentiam negotiatorum et conmeatum iuvaturum exercitum et iam paratis rebus munimento fore. Inter haec negotia Iugurtha inpensius modo legatos supplices mittere,

---

1. *obviam* Einsied. V. Cfr. cap. 21. — 6. *temptari*] auctore Gronovio G. K. *temptare* Libri. V. — 11. *uti* K. — *quacunque* auctore Cortio K. — 17. *Vacca* V. G. — 20. *gratia, et si paterentur, opportunitatis loci*] (repete mente v. *gratia*) Cod. Paris. *gratia, et si paterentur opportunitates loci* ceteri Libri. V. *gratia, et si paterentur, opportunitate loci* auctore Grutero G. K. (*gratia, si paterent opportunitates loci* Cortius.) — (24. *et conmeatu iuvaturam* Faber.)

pacem orare, praeter suam liberorumque vitam omnia Metello dedere. Quos item, uti priores, consul inlectos ad proditionem domum dimittebat, regi pacem quam postulabat neque abnuere neque polliceri et inter eas moras promissa legatorum exspectare.

48. Iugurtha ubi Metelli dicta cum factis conposuit ac se suis artibus temptari animum advortit, quippe quoi verbis pax nuntiabatur, ceterum re bellum asperrumum erat, urbs maxuma alienata, ager hostibus cognitus, animi popularium temptati, coactus rerum necessitudine statuit armis certare. Igitur explorato hostium itinere, in spem victoriae adductus ex opportunitate loci, quam maxumas potest copias omnium generum parat ac per tramites occultos exercitum Metelli antevenit. Erat in ea parte Numidiae, quam Adherbal in divisione possederat, flumen oriens a meridie, nomine Muthul; a quo aberat mons ferme milia passuum viginti tractu pari, vastus ab natura et humano cultu. Sed ex eo medio quasi collis oriebatur, in inmensum pertingens, vestitus oleastro ac murtetis aliisque generibus arborum, quae humi arido atque arenoso gignuntur. Media autem planities deserta penuria aquae, praeter flumini propinqua loca; ea consita arbustis, pecore atque cultoribus frequentabantur.

49. Igitur in eo colle, quem transvorso itinere porrectum docuimus, Iugurtha, extenuata suorum acie, consedit, elephantis et parti copiarum pedestrium Bomilcarem praefecit eumque edocet, quae ageret; ipse

2. *item consul, uti priores* V. — 7. *suis se* V. — *animum advortit*] Cod. Paris. *animadvortit* V. G. K. — 16. *a meridie oriens* V. — 17. *mons aberat* V. — *milia* [*passuum*] G. om. *passuum* K. — 18. *vastatus* V. — (20. *pertinens* Cortius.) — *myrtetis* V. *mirtetis* K. — (21. *humo arida atque arenosa* Cod. Turic.)

propior montem cum omni equitatu et peditibus delectis suos conlocat. Dein singulas turmas et manipulos circumiens monet atque obtestatur, uti memores pristinae virtutis et victoriae sese regnumque suum ab Romanorum avaritia defendant; cum is certamen fore, quos antea victos sub iugum miserint; ducem illis, non animum mutatum; quae ab imperatore decuerint, omnia suis provisa, locum superiorem, ut prudentes cum inperitis, ne pauciores cum pluribus aut rudes cum bello melioribus manum consererent; proinde parati intentique essent signo dato Romanos invadere; illum diem aut omnis labores et victorias confirmaturum, aut maxumarum aerumnarum initium fore. Ad hoc viritim, uti quemque ob militare facinus pecunia aut honore extulerat, conmonefacere benefici sui et eum ipsum aliis ostentare; postremo pro quoiusque ingenio pollicendo, minitando, obtestando, alium alio modo excitare, quom interim Metellus, ignarus hostium, monte degrediens cum exercitu conspicatur, primo dubius, quidnam insolita facies ostenderet, (nam inter virgulta equi Numidaeque consederant, neque plane occultati humilitate arborum, et tamen incerti, quidnam esset, cum natura loci tum dolo ipsi atque signa militaria obscurati); dein, brevi cognitis insidiis, paullisper agmen constituit. Ibi conmutatis ordinibus, in dextero latere, quod proxumum hostis erat, triplicibus subsidiis aciem instruxit, inter manipulos funditores et sagittarios dispertit, equitatum omnem in cornibus locat, ac pauca pro tempore milites

---

2. *et]* *atque* K. — 5. *iis* V. *his* G. K. — 8. *uti* V. K. — 17. *alium, modo alium* V. — 19. *conspicatur]* auctore Donato ad Ter. Eun. II. 3, 93. V. K. *conspicitur* Libri G. — 22. *quidnam esset, incerti* V. — 25. *dextro* V. — 26. *hostibus* V.

hortatus aciem, sicuti instruxerat, transvorsis principiis in planum deducit.

50. Sed ubi Numidas quietos neque colle degredi animadvortit, veritus ex anni tempore et inopia aquae, ne siti conficeretur exercitus, Rutilium legatum cum expeditis cohortibus et parte equitum praemisit ad flumen, uti locum castris antecaperet, existumans hostis crebro impetu et transvorsis proeliis iter suum remoraturos, et quoniam armis diffiderent, lassitudinem et sitim militum temptaturos. Deinde ipse pro re atque loco, sicuti monte descenderat, paullatim procedere, Marium post principia habere, ipse cum sinistrae alae equitibus esse, qui in agmine principes facti erant. At Iugurtha, ubi extremum agmen Metelli primos suos praetergressum videt, praesidio quasi duum milium peditum montem occupat, qua Metellus descenderat, ne forte cedentibus advorsariis receptui ac post munimento foret; dein repente signo dato hostis invadit. Numidae alii postremos caedere, pars a sinistra ac dextera temptare, infensi adesse atque instare, omnibus locis Romanorum ordines conturbare, quorum etiam qui firmioribus animis obvii hostibus fuerant, ludificati incerto proelio, ipsi modo eminus sauciabantur, neque contra feriundi aut conserendi manum copia erat; ante iam docti ab Iugurtha equites, ubicunque Romanorum turma insequi coeperat, non confertim neque in unum sese recipiebant, sed alius alio quam maxume divorsi. Ita numero priores, si ab persequendo hostis deterrere nequiverant, disiectos ab tergo aut lateribus circumveniebant; sin opportunior fugae collis quam campi fuerat, ea

3. *digredi* V. — 19. *dextra* V. — 24. *manum conserendi* K. — 28. *a* V. — 30. *fuerant* V. K. — *eo vero* V.

vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere; nostros asperitas et insolentia loci retinebat.

51. Ceterum facies totius negoti varia, incerta, foeda atque miserabilis; dispersi a suis pars cedere, alii insequi, neque signa neque ordines observare, ubi quemque periculum ceperat, ibi resistere ac propulsare, arma tela, equi viri, hostes atque cives permixti, nihil consilio neque imperio agi, fors omnia regere. Itaque multum diei processerat, quom etiamtum eventus in incerto erat. Denique omnibus labore et aestu languidis, Metellus ubi videt Numidas minus instare, paullatim milites in unum conducit, ordines restituit et cohortis legionarias quattuor advorsum pedites hostium conlocat. Eorum magna pars superioribus locis fessa consederat. Simul orare, hortari milites, ne deficerent, neu paterentur hostis fugientis vincere; neque illis castra esse neque munimentum ullum, quo cedentes tenderent, in armis omnia sita. Sed nec Iugurtha quidem interea quietus erat; circumire, hortari, renovare proelium et ipse cum delectis temptare omnia, subvenire suis, hostibus dubiis instare, quos firmos cognoverat, eminus pugnando retinere.

52. Eo modo inter se duo imperatores, summi viri certabant, ipsi pares, ceterum opibus disparibus. Nam Metello virtus militum erat, locus advorsus, Iugurthae alia omnia praeter milites opportuna. Denique Romani, ubi intellegunt neque sibi perfugium esse neque ab hoste copiam pugnandi fieri, (et iam die vesper erat) advorso colle, sicuti praeceptum fuerat, evadunt. Amisso loco Numidae fusi fugatique; pauci interiere, plerosque velo-

13. *adversus* V. — 15. *et hortari* V. — 18. *Sed ne* G. — 28. *aderat* V.

citas et regio hostibus ignara tutata sunt. Interea Bomilcar, quem elephantis et parti copiarum pedestrium praefectum ab Iugurtha supra diximus, ubi eum Rutilius praetergressus est, paullatim suos in aequum locum deducit ac, dum legatus ad flumen, quo praemissus erat, festinans pergit, quietus, uti res postulabat, aciem exornat, neque remittit, quid ubique hostis ageret, explorare. Postquam Rutilium consedisse iam et animo vacuum accepit, simulque ex Iugurthae proelio clamorem augeri, veritus, ne legatus cognita re laborantibus suis auxilio foret, aciem, quam diffidens virtuti militum arcte statuerat, quo hostium itineri obficeret, latius porrigit, eoque modo ad Rutili castra procedit.

53. Romani ex inproviso pulveris vim magnam animadvortunt; nam prospectum ager arbustis consitus prohibebat. Et primo rati humum aridam vento agitari, post ubi aequabilem manere et, sicuti acies movebatur, magis magisque adpropinquare vident, cognita re properantes arma capiunt ac pro castris, sicuti imperabatur, consistunt. Deinde, ubi propius ventum est, utrimque magno clamore concurritur. Numidae tantum modo remorati, dum in elephantis auxilium putant, postquam eos inpeditos ramis arborum atque ita disiectos circumveniri vident, fugam faciunt ac plerique abiectis armis collis aut noctis quae iam aderat auxilio integri abeunt. Elephanti quattuor capti, reliqui omnes numero quadraginta interfecti. At Romani, quamquam itinere atque opere castrorum et proelio fessi lassique erant, tamen, quod Metellus amplius opinione morabatur, instructi

---

7. *remittit interim* V. — 12. *arte* V. K. — 21. *tantummodo* V. G. — 23. om. *ita* V. — 26. *XL. numero* V. — 28. *lassique]* ex paucis Codd. V. K. *laetique* G.

intentique obviam procedunt. Nam dolus Numidarum nihil languidi neque remissi patiebatur. Ac primo, obscura nocte, postquam haud procul inter se erant, strepitu, velut hostes, adventare, alteri apud alteros formidinem simul et tumultum facere, et paene inprudentia admissum facinus miserabile, ni utrimque praemissi equites rem exploravissent. Igitur pro metu repente gaudium exortum, milites alius alium laeti adpellant, acta edocent atque audiunt, sua quisque fortia facta ad caelum fert. Quippe res humanae ita sese habent: in victoria vel ignavis gloriari licet, advorsae res etiam bonos detractant.

54. Metellus in isdem castris quatriduo moratus, saucios cum cura reficit, meritos in proeliis more militiae donat, universos in contione laudat atque agit gratias; hortatur ad cetera, quae levia sunt, parem animum gerant; pro victoria satis iam pugnatum, reliquos labores pro praeda fore. Tamen interim transfugas et alios opportunos, Iugurtha ubi gentium aut quid agitaret, cum paucisne esset, an exercitum haberet, ut sese victus gereret, exploratum misit. At ille sese in loca saltuosa et natura munita receperat, ibique cogebat exercitum numero hominum ampliorem, sed hebetem infirmumque, agri ac pecoris magis quam belli cultorem. Id ea gratia eveniebat, quod praeter regios equites nemo omnium Numidarum ex fuga regem sequitur; quo quoiusque animus fert, eo discedunt, neque id flagitium militiae ducitur; ita se mores habent. Igitur Metellus ubi videt etiamtum regis animum ferocem esse,

4. *velut hostes adventarent* V. — 10. *fert] effert* V. *ferre* K. — 12. *detrectant* V. — 18. *labores praedae* V. — 21. *uti* K. — 27. *fert] foret* V. err. typogr. — 29. *animum regis etiam tum* V.

bellum renovari, quod nisi ex illius lubidine geri non posset, praeterea iniquum certamen sibi cum hostibus, minore detrimento illos vinci quam suos vincere, statuit non proeliis neque in acie, sed alio more bellum gerundum. Itaque in Numidiae loca opulentissima pergit, agros vastat, multa castella et oppida temere munita aut sine praesidio capit incenditque; puberes interfici iubet, alia omnia militum praedam esse. Ea formidine multi mortales Romanis dediti obsides; frumentum et alia, quae usui forent, adfatim praebita, ubicunque res postulabat, praesidium inpositum. Quae negotia multo magis quam proelium male pugnatum ab suis regem terrebant; quippe quoi spes omnis in fuga sita erat, sequi cogebatur, et qui sua loca defendere nequiverat, in alienis bellum gerere. Tamen ex copia quod optumum videbatur consilium capit, exercitum plerumque in isdem locis opperiri iubet, ipse cum delectis equitibus Metellum sequitur, nocturnis et aviis itineribus ignoratus Romanos palantis repente adgreditur. Eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur, nemo omnium intactus profugit, et Numidae, priusquam ex castris subveniretur, sicuti iussi erant, in proxumos collis discedunt.

55. Interim Romae gaudium ingens ortum cognitis Metelli rebus, ut seque et exercitum more maiorum gereret, in advorso loco victor tamen virtute fuisset, hostium agro potiretur, Iugurtham magnificum ex Auli socordia spem salutis in solitudine aut fuga coëgisset habere. Itaque senatus ob ea feliciter acta dis inmortalibus supplicia decernere, civitas trepida antea et solli-

2. *hostibus esse* V. — 4. om. *in* K. — 5. *loca Numidiae* V. — 8. *esse praedam* V. — 13. *cuius* V. — 15. *ex inopia* cum Libris (praeter Guelf. 4. a pr. m. accedente Guelf. 2. *ex in copia:*) V. — 24. *sese que* V. — 29. *antea, sollicita* V.

cita de belli eventu laeta agere, fama de Metello praeclara esse. Igitur eo intentior ad victoriam niti, omnibus modis festinare, cavere tamen, necubi hosti opportunus fieret, meminisse post gloriam invidiam sequi. Ita quo clarior, eo magis anxius erat, neque post insidias Iugurthae effuso exercitu praedari; ubi frumento aut pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu praesidium agitabant; exercitus partem ipse, reliquos Marius ducebat. Sed igni magis quam praeda ager vastabatur. Duobus locis haud longe inter se castra faciebant; ubi vi opus erat, cuncti aderant; ceterum, quo fuga atque formido latius cresceret, divorsi agebant. Eo tempore Iugurtha per collis sequi, tempus aut locum pugnae quaerere; qua venturum hostem audierat, pabulum et aquarum fontis, quorum penuria erat, conrumpere; modo se Metello, interdum Mario ostendere, postremo in agmine temptare ac statim in collis regredi, rursus aliis, post aliis minitari, neque proelium facere neque otium pati, tantummodo hostem ab incepto retinere.

56. Romanus imperator ubi se dolis fatigari videt neque ab hoste copiam pugnandi fieri, urbem magnam et in ea parte qua sita erat arcem regni, nomine Zamam, statuit obpugnare, ratus id quod negotium poscebat Iugurtham laborantibus suis auxilio venturum ibique proelium fore. At ille, quae parabantur a perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum antevenit, oppidanos hortatur, moenia defendant, additis auxilio perfugis, quod genus ex copiis regis, quia fallere nequibat, firmissumum erat. Praeterea pollicetur in tempore semet cum exercitu adfore. Ita compositis rebus in loca quam maxume occulta discedit ac post paullo cognoscit Ma-

---

1. *de Metello fama* V. K.

rium ex itinere frumentatum cum paucis cohortibus Siccam missum, quod oppidum primum omnium post malam pugnam ab rege defecerat. Eo cum delectis equitibus noctu pergit et iam egredientibus Romanis in porta pugnam facit; simul magna voce Siccenses hortatur, uti cohortis ab tergo circumveniant; fortunam illis praeclari facinoris casum dare; si id fecerint, postea sese in regno, illos in libertate sine metu aetatem acturos. Ac ni Marius signa inferre atque evadere oppido properavisset, profecto cuncti aut magna pars Siccensium fidem mutavissent; tanta mobilitate sese Numidae agunt. Sed milites Iugurthini paullisper ab rege sustentati, postquam maiore vi hostes urguent, paucis amissis profugi discedunt.

57. Marius ad Zamam pervenit; id oppidum in campo situm, magis opere quam natura munitum erat, nullius idoneae rei egens, armis virisque opulentum. Igitur Metellus pro tempore atque loco paratis rebus cuncta moenia exercitu circumvenit, legatis imperat, ubi quisque curaret. Deinde signo dato undique simul clamor ingens oritur; neque ea res Numidas terret, infensi intentique sine tumultu manent; proelium incipitur. Romani, pro ingenio quisque, pars eminus glande aut lapidibus pugnare; alii succedere ac murum modo subfodere, modo scalis adgredi, cupere proelium in manibus facere. Contra ea oppidani in proxumos saxa volvere, sudes, pila, praeterea picem et sulfure taedam mixtam ardenti mittere. Sed ne illos quidem, qui procul manse-

12. *agunt] gerunt* Cod. Paris. V. — 25. *proelium manibus* V. K. — 27. *picem et sulfure taedam mixtam ardenti]* Cod. Turic. *picem et sulphure taedam mixtam ardentem* V. *picem sulphure et taeda mixtam ardentia* Cortius. G. *pice et sulphure taedam mixtam ardenti* K.

rant, timor animi satis muniverat; nam plerosque iacula tormentis aut manu emissa volnerabant, parique periculo, sed fama inpari, boni atque ignavi erant.

58. Dum apud Zamam sic certatur, Iugurtha ex inproviso castra hostium cum magna manu invadit, remissis, qui in praesidio erant, et omnia magis quam proelium exspectantibus, portam inrumpit. At nostri, repentino metu perculsi, sibi quisque pro moribus consulunt; alii fugere, alii arma capere, magna pars volnerati aut occisi. Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta memores nominis Romani grege facto locum cepere paullo quam alii editiorem, neque inde maxuma vi depelli quiverunt, sed tela eminus missa remittere, pauci in pluribus minus frustrati; sin Numidae propius accessissent, ibi vero virtutem ostendere et eos maxuma vi caedere, fundere atque fugare. Interim Metellus quom acerrume rem gereret, clamorem hostilem a tergo accepit, dein convorso equo animadvortit fugam ad se vorsum fieri, quae res indicabat popularis esse. Igitur equitatum omnem ad castra propere misit, ac statim G. Marium cum cohortibus sociorum, eumque lacrumans per amicitiam perque rem publicam obsecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu victore neve hostis inultos abire sinat. Ille brevi mandata efficit. At Iugurtha munimento castrorum inpeditus, quom alii super vallum praecipitarentur, alii in angustiis ipsi sibi properantes obficerent, multis amissis in loca munita sese recepit. Metellus, infecto negotio, postquam nox aderat, in castra cum exercitu revortitur.

(7. *proelium]* *bellum* Cortius.) — 14. *frustrari* V. — 17. *clamorem et tumultum* V. cum Cod. Leid. (*clamorem vel tumultum* bpet. Alii: *clamorem, tumultum.*) — 18. *ab* K. — *deinde* V. K. — 21. *mittit* K.

59. Igitur postero die, prius quam ad obpugnandum egrederetur, equitatum omnem in ea parte, qua regis adventus erat, pro castris agitare iubet, portas et proxuma loca tribunis dispertit, deinde ipse pergit ad oppidum atque uti superiore die murum adgreditur. Interim Iugurtha ex occulto repente nostros invadit; qui in proxumo locati fuerant, paullisper territi perturbantur, reliqui cito subveniunt. Neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent; quibus illi freti, non uti equestri proelio solet, sequi, dein cedere, sed advorsis equis concurrere, inplicare ac perturbare aciem; ita expeditis peditibus suis hostis paene victos dare.

60. Eodem tempore apud Zamam magna vi certabatur. Ubi quisque legatus aut tribunus curabat, eo acerrume niti, neque alius in alio magis quam in sese spem habere: pariterque oppidani agere; obpugnare aut parare omnibus locis, avidius alteri alteros sauciare quam semet tegere, clamor permixtus hortatione, laetitia, gemitu, item strepitus armorum ad caelum ferri, tela utrimque volare. Sed illi, qui moenia defensabant, ubi hostes paullum modo pugnam remiserant, intenti proelium equestre prospectabant, eos, uti quaeque Iugurthae res erant, laetos modo, modo pavidos animadverteres, ac, sicuti audiri a suis aut cerni possent, monere alii, alii hortari aut manu significare aut niti corporibus, et ea huc et illuc quasi vitabundi aut iacientes tela agitare. Quod ubi Mario cognitum est, (nam is in ea parte curabat) consulto lenius agere ac

---

5. *ut* K. — 11. *ut* K. — 22. *paullulum* (Turic.) V. — 26. *a suis audiri* V. — 28. om. vv. *et ea* V. — *huc illuc* K.

diffidentiam rei simulare, pati Numidas sine tumultu regis proelium visere. Ita illis studio suorum adstrictis, repente magna vi murum adgreditur, et iam scalis egressi milites prope summa ceperant, quom oppidani concurrunt, lapides, ignem, alia praeterea tela ingerunt. Nostri primo resistere, deinde, ubi unae atque alterae scalae comminutae, qui supersteterant, adflicti sunt, ceteri, quoquo modo potuere, pauci integri, magna pars volneribus confecti abeunt. Denique utrimque proelium nox diremit.

61. Metellus, postquam videt frustra inceptum neque oppidum capi, neque Iugurtham nisi ex insidiis aut suo loco pugnam facere, et iam aestatem exactam esse, ab Zama discedit et in is urbibus, quae ad se defecerant, satisque munitae loco aut moenibus erant, praesidia inponit; ceterum exercitum in provinciam, quae proxuma est Numidiae, hiemandi gratia conlocat. Neque id tempus ex aliorum more quieti aut luxuriae concedit, sed quoniam armis bellum parum procedebat, insidias regi per amicos tendere et eorum perfidia pro armis uti parat. Igitur Bomilcarem, qui Romae cum Iugurtha fuerat et inde vadibus datis clam Massivae de nece iudicium fugerat, quod ei per maxumam amicitiam maxuma copia fallendi erat, multis pollicitationibus adgreditur. Ac primo efficit, uti ad se conloquendi gratia occultus veniat, dein fide data, si Iugurtham vivom aut necatum sibi tradidisset, fore, ut illi senatus inpunitatem et sua omnia concederet, facile Numidae persuadet, cum in-

---

5. *praeterea alia* V. — 9. *confecti volneribus* V. K. — 14. *is]* Cod. Paris. *iis* Leid. V. *his* G. K. — *quae ab rege defecerant* V. — 16. *in provincia* V. — 17. om. *est* G. — 22. *de Massivae nece clam* V. *clam de Massivae nece* K. — 26. *deinde* V. K.

genio infido, tum metuenti, ne, si pax cum Romanis fieret, ipse per condiciones ad supplicium traderetur.

62. Is, ubi primum opportunum fuit, Iugurtham anxium ac miserantem fortunas suas accedit; monet atque lacrumans obtestatur, uti aliquando sibi liberisque et genti Numidarum optume merenti provideat, omnibus proeliis sese victos, agrum vastatum, multos mortalis captos, occisos, regni opes conminutas esse; satis saepe iam et virtutem militum et fortunam temptatam; caveat, ne illo cunctante Numidae sibi consulant. His atque talibus aliis ad deditionem regis animum inpellit. Mittuntur ad imperatorem legati, qui Iugurtham imperata facturum dicerent ac sine ulla pactione sese regnumque suum in illius fidem tradere. Metellus propere cunctos senatorii ordinis ex hibernis accersi iubet, eorum atque aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet. Ita more maiorum ex consili decreto per legatos Iugurthae imperat argenti pondo ducenta milia, elephantos omnis, equorum et armorum aliquantum. Quae postquam sine mora facta sunt, iubet omnis perfugas vinctos adduci; eorum magna pars, uti iussum erat, adducti, pauci, quom primum deditio coepit, ad regem Bocchum in Mauretaniam abierant. Igitur Iugurtha, ubi armis virisque et pecunia spoliatus est, quom ipse ad imperandum Tisidium vocaretur, rursus coepit flectere animum suum et ex mala conscientia digna timere. Denique multis diebus per dubitationem consumptis, quom modo taedio rerum advorsarum omnia bello potiora duceret, interdum secum ipse reputaret, quam gravis casus in ser-

---

1. *ne* collocat anto *ipse* V. — 6. *meritae* V. — 8. *aut occisos* K. — 11. *animum regis* V. — 15. *accersiri* V. K. — *et aliorum* G. — 19. *aliquantulum* V. — 21. *ut* K. — 25. *Tisdrum* V.

vitium ex regno foret, multis magnisque praesidiis nequidquam perditis, de integro bellum sumit. Et Romae senatus de provinciis consultus Numidiam Metello decreverat.

63. Per idem tempus Uticae forte G. Mario per hostias dis supplicanti, magna atque mirabilia portendi haruspex dixerat; proinde, quae animo agitabat, fretus dis ageret, fortunam quam saepissume experiretur, cuncta prospere eventura. At illum iam antea consulatus ingens cupido exagitabat, ad quem capiundum praeter vetustatem familiae alia omnia abunde erant, industria, probitas, militiae magna scientia, animus belli ingens, domi modicus, lubidinis et divitiarum victor, tantummodo gloriae avidus. Sed is natus et omnem pueritiam Arpini altus, ubi primum aetas militiae patiens fuit, stipendiis faciundis, non Graeca facundia neque urbanis munditiis sese exercuit; ita inter artis bonas integrum ingenium brevi adolevit. Ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem eius ignorantibus, facile notus per omnis tribus declaratur. Deinde ab eo magistratu alium post alium sibi peperit, semperque in potestatibus eo modo agitabat, ut ampliore quam gerebat dignus haberetur. Tamen is ad id locorum talis vir (nam postea ambitione praeceps datus est) petere non audebat. Etiamtum alios magistratus plebes, consulatum nobilitas inter se per manus tradebat. Novos nemo tam clarus neque tam egregiis factis erat, quin is indignus illo honore et quasi pollutus haberetur.

64. Igitur ubi Marius haruspicis dicta eodem inten-

9. *prospera* K. — 14. *et per omnem* V. — 23. *uti* K. — 25 *est, consulatum appetere* V. *est, adpetare* G. — 26. *plebs* G. — 27. *Novus* V. K. — *egregius* V. K.

dere videt, quo cupido animi hortabatur, ab Metello petundi gratia missionem rogat. Quoi quamquam virtus, gloria atque alia optanda bonis superabant, tamen inerat contemptor animus et superbia, conmune nobilitatis malum. Itaque primum conmotus insolita re mirari eius consilium et quasi per amicitiam monere, ne tam prava inciperet neu super fortunam animum gereret; non omnia omnibus cupiunda esse; debere illi res suas satis placere; postremo caveret id petere a populo Romano, quod illi iure negaretur. Postquam haec atque alia talia dixit neque animus Mari flectitur, respondit, ubi primum potuisset per negotia publica, facturum sese, quae peteret. Ac postea saepius eadem postulanti fertur dixisse, ne festinaret abire; satis mature illum cum filio suo consulatum petiturum. Is eo tempore contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter viginti; quae res Marium cum pro honore, quem adfectabat, tum contra Metellum vehementer accenderat. Ita cupidine atque ira, pessumis consultoribus, grassari, neque facto ullo neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum foret, milites, quibus in hibernis praeerat, laxiore imperio quam antea habere, apud negotiatores, quorum magna multitudo Uticae erat, criminose, simul et magnifice de bello loqui, dimidia pars exercitus si sibi permitteretur, paucis diebus Iugurtham in catenis habiturum; ab imperatore consulto trahi, quod homo inanis et regiae superbiae imperio nimis gauderet. Quae omnia illis eo firmiora videbantur, quod diuturnitate belli res familiaris conruperant et animo cupienti nihil satis festinatur.

65. Erat praeterea in exercitu nostro Numida qui-

---

24. *ac* V. — 25. om. *si* K. — 27. *bellum trahi* V.

dam, nomine Gauda, Mastanabalis filius, Masinissae nepos, quem Micipsa testamento secundum heredem scripserat, morbis confectus et ob eam causam mente paullum inminuta. Quoi Metellus petenti more regum ut sellam iuxta poneret, item postea custodiae causa turmam equitum Romanorum, utrumque negaverat, honorem, quod eorum modo foret, quos populus Romanus reges adpellavisset, praesidium, quod contumeliosum in eos foret, si equites Romani satellites Numidae traderentur. Hunc Marius anxium adgreditur atque hortatur, ut contumeliarum imperatori cum suo auxilio poenas petat; hominem ob morbos animo parum valido secunda oratione extollit: illum regem, ingentem virum, Masinissae nepotem esse; si Iugurtha captus aut occisus foret, imperium Numidiae sine mora habiturum; id adeo mature posse evenire, si ipse consul ad id bellum missus foret. Itaque et illum et equites Romanos, milites et negotiatores alios ipse, plerosque pacis spes inpellit, uti Romam ad suos necessarios aspere in Metellum de bello scribant, Marium imperatorem poscant. Sic illi a multis mortalibus honestissuma subfragatione consulatus petebatur; simul ea tempestate plebes, nobilitate fusa per legem Mamiliam, novos extollebat. Ita Mario cuncta procedere.

66. Interim Iugurtha postquam omissa deditione bellum incipit, cum magna cura parare omnia, festinare, cogere exercitum, civitatis, quae ab se defecerant, formidine aut ostentando praemia adfectare; conmunire

---

1. *Manastabilis* V. — 4. *paullulum* V. — *regum more* V. — 5. *uti* K. — 9. om. *in eos* K. (*in nos* Freinshemius.) — 11. *uti* K. — *in imperatorem* V. *imperatoris* K. — 18. *spes pacis* V. K. — 21. *a multis illi* V.

suos locos, arma, tela, alia[que], quae spe pacis amiserat, reficere aut conmercari, servitia Romanorum adlicere et eos ipsos, qui in praesidiis erant, pecunia temptare; prorsus nihil intactum neque quietum pati, cuncta agitare. Igitur Vagenses, quo Metellus initio, Iugurtha pacificante, praesidium inposuerat, fatigati regis suppliciis neque antea voluntate alienati, principes civitatis inter se coniurant; nam volgus, uti plerumque solet, et maxume Numidarum, ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum erat, cupidum novarum rerum, quieti et otio advorsum. Dein, conpositis inter se rebus, in diem tertium constituunt, quod is festus celebratusque per omnem Africam ludum et lasciviam magis quam formidinem ostentabat. Sed ubi tempus fuit, centuriones tribunosque militaris et ipsum praefectum oppidi, T. Turpilium Silanum, alius alium domos suas invitant; eos omnis praeter Turpilium inter epulas obtruncant; postea milites palantis, inermos, quippe in tali die ac sine imperio, adgrediuntur. Idem plebes facit, pars edocti ab nobilitate, alii studio talium rerum incitati, quis acta consiliumque ignorantibus tumultus ipse et res novae satis placebant.

67. Romani milites, inproviso metu incerti ignarique, quid potissumum facerent, trepidare; ad arcem oppidi, ubi signa et scuta erant, praesidium hostium; portae ante clausae fugam prohibebant; ad hoc mulieres puerique pro tectis aedificiorum saxa et alia, quae locus praebebat, certatim mittere. Ita neque caveri anceps malum, neque a fortissumis infirmissumo generi

---

1. *aliaque* V. *alia* K. — 5. *Vaccenses* V. G. — *in initio* V. — 18. *inermis* K. — 19. *et sine* V. — 23. *perculsi improviso metu, incerti* V. — 24. om. *ad* V. Seclusit G.

resisti posse; iuxta boni malique, strenui et inbelles inulti obtruncari. In ea tanta asperitate, saevissumis Numidis et oppido undique clauso, Turpilius praefectus unus ex omnibus Italicis intactus profugit; id misericordiane hospitis, an pactione aut casu ita evenerit, parum conperimus; nisi, quia illi in tanto malo turpis vita integra fama potior fuit, inprobus intestabilisque videtur.

68. Metellus, postquam de rebus Vagae actis conperit, paullisper maestus e conspectu abit; deinde, ubi ira et aegritudo permixta sunt, cum maxuma cura ultum ire iniurias festinat. Legionem, cum qua hiemabat, et quam plurimos potest Numidas equites pariter cum occasu solis expeditos educit, et postera die circiter horam tertiam pervenit in quamdam planitiem, locis paullo superioribus circumventam. Ibi milites fessos itineris magnitudine et iam abnuentis omnia docet oppidum Vagam non amplius mille passuum abesse, decere illos reliquum laborem aequo animo pati, dum pro civibus suis, viris fortissumis atque miserrumis, poenas caperent; praeterea praedam benigne ostentat. Sic animis eorum adrectis, equites in primo late, pedites quam artissume ire et signa occultare iubet.

69. Vagenses ubi animum advortere ad se vorsum exercitum pergere, primo, uti erat res, Metellum esse rati, portas clausere, deinde ubi neque agros vastari et eos, qui primi aderant, Numidas equites vident, rursum Iugurtham arbitrati cum magno gaudio obvii

---

2. *inulti]* *multi* V. — 4. *profugit intactus* V. K. — 5. *an casu* V. — 6. *quod illi* V. — 9. *Vaccae* V. G. — 10. *abiit* V. — 22. *late]* Palmerio auctore G. K. *latere* Libri. V. — 24. *animadvertere* V. — 25. *res erat* V.

procedunt. Equites peditesque repente signo dato alii volgum effusum oppido caedere, alii ad portas festinare, pars turris capere; ira atque praedae spes amplius quam lassitudo posse. Ita Vagenses biduum modo ex perfidia laetati; civitas magna et opulens cuncta poenae aut praedae fuit. Turpilius, quem praefectum oppidi unum ex omnibus profugisse supra ostendimus, iussus a Metello causam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus verberatusque capite poenas solvit; nam is civis ex Latio erat.

70. Per idem tempus Bomilcar, quoius inpulsu Iugurtha deditionem, quam metu deseruit, inceperat, suspectus regi et ipse eum suspiciens, novas res cupere, ad perniciem eius dolum quaerere, diu noctuque fatigare animum; denique omnia temptando, socium sibi adiungit Nabdalsam, hominem nobilem, magnis opibus, carum acceptumque popularibus suis, qui plerumque seorsum ab rege exercitum ductare et omnis res exsequi solitus erat, quae Iugurthae fesso aut maioribus adstricto superaverant; ex quo illi gloria opesque inventae. Igitur utriusque consilio dies insidiis statuitur; cetera, uti res posceret, ex tempore parari placuit; Nabdalsa ad exercitum profectus, quem inter hiberna Romanorum iussus habebat, ne ager inultis hostibus vastaretur. Is postquam magnitudine facinoris perculsus ad tempus non venit metusque rem inpediebat, Bomilcar simul cupidus incepta patrandi et timore soci anxius, ne omisso vetere consilio novom quaereret, litteras ad eum per homines

---

1. *repente* om. Gerlachii typotheta. — 3. *spes praedae* V. — 5. *poenae cuncta* V. — 9. *poenas capite* V. — 14. *diu]* Cod. Leid. *die* V. G. K. — 16. *magnis opibus, carum* Colero auctore K. *magnis opibus clarum* Libri. V. G.

fidelis mittit, in quis mollitiem socordiamque viri accusare, testari deos, per quos iuravisset, monere ne praemia Metelli in pestem convorteret; Iugurthae exitium adesse; ceterum suane an virtute Metelli periret, id modo agitari; proinde reputaret cum animo suo, praemia an cruciatum mallet.

71. Sed quom hae litterae adlatae, forte Nabdalsa exercito corpore fessus in lecto quiescebat, ubi cognitis Bomilcaris verbis primo cura, deinde, uti aegrum animum solet, somnus cepit. Erat ei Numida quidam negotiorum curator, fidus acceptusque et omnium consiliorum nisi novissumi particeps. Qui postquam adlatas litteras audivit, ex consuetudine ratus opera aut ingenio suo opus esse, in tabernaculum introiit, dormiente illo epistolam, super caput in pulvino temere positam, sumit ac perlegit, dein propere, cognitis insidiis, ad regem pergit. Nabdalsa post paullo experrectus ubi neque epistolam repperit et rem omnem, uti acta erat, cognovit, primo indicem persequi conatus, postquam id frustra fuit, Iugurtham placandi gratia accedit; dicit quae ipse paravisset facere perfidia clientis sui praeventa; lacrumans obtestatur per amicitiam perque sua antea fideliter acta, ne super tali scelere suspectum sese haberet.

72. Ad ea rex, aliter atque animo gerebat, placide respondit. Bomilcare aliisque multis, quos socios insidiarum cognoverat, interfectis iram obpresserat, ne qua ex eo negotio seditio oriretur. Neque post id locorum Iugurthae dies aut nox ulla quieta fuit, neque loco neque mortali quoiquam aut tempori satis credere,

---

1. *mollitiam* G. — 2. *iurasset* V. — 3. *in pestem suam* V. — 4. *Metelli virtute* K. — 7. *eae* V. — 13. *et ex* G. — 14. *et dormiente* V. — 17. *paullo post* G.

civis hostis iuxta metuere, circumspectare omnia et omni strepitu pavescere, alio atque alio loco saepe contra decus regium noctu requiescere, interdum somno excitus arreptis armis tumultum facere; ita formidine quasi vecordia exagitari.

73. Igitur Metellus, ubi de casu Bomilcaris et indicio patefacto ex perfugis cognovit, rursus tamquam ad integrum bellum cuncta parat festinatque. Marium, fatigantem de profectione, simul et invitum et offensum sibi parum idoneum ratus, domum dimittit. Et Romae plebes, litteris, quae de Metello ac Mario missae erant, cognitis, volenti animo de ambobus acceperant. Imperatori nobilitas, quae antea decori, invidiae esse; at illi alteri generis humilitas favorem addiderat; ceterum in utroque magis studia partium quam bona aut mala sua moderata. Praeterea seditiosi magistratus volgum exagitare, Metellum omnibus contionibus capitis arcessere, Mari virtutem in maius celebrare. Denique plebes sic accensa, uti opifices agrestesque omnes, quorum res fidesque in manibus sitae erant, relictis operibus frequentarent Marium et sua necessaria post illius honorem ducerent. Ita perculsa nobilitate post multas tempestates novo homini consulatus mandatur, et postea populus a tribuno plebis Manlio Mancino rogatus, quem vellet cum Iugurtha bellum gerere, frequens Marium iussit. Sed senatus paullo ante Metello decreverat; ea res frustra fuit.

74. Eodem tempore Iugurtha amissis amicis, quorum

---

1. *hostesque* V. *hostis[que]* G. — 9. *invisum* K. — 13. *decori fuerat* V. *decori [fuit]* G. — 16. *moderata sunt* Turic. V. *moderabant* Cod. Tegerns. et alii pauci. K. *moderabantur* Codd. alii. — *vulgus* V. — 17. *accersere* G. — 24. *L. Manlio Mantino* V. — 26. *Metello Numidiam* V. K.

plerosque ipse necaverat, ceteri formidine, pars ad Romanos, alii ad regem Bocchum profugerant, quom neque bellum geri sine administris posset, et novorum fidem in tanta perfidia veterum experiri periculosum duceret, varius incertusque agitabat. Neque illi res neque consilium aut quisquam hominum satis placebat; itinera praefectosque in dies mutare, modo advorsum hostis, interdum in solitudines pergere, saepe in fuga ac post paullo in armis spem habere, dubitare, virtuti an fidei popularium minus crederet; ita quocunque intenderat, res advorsae erant. Sed inter eas moras repente sese Metellus cum exercitu ostendit. Numidae ab Iugurtha pro tempore parati instructique; dein proelium incipitur. Qua in parte rex pugnae adfuit, ibi aliquamdiu certatum, ceteri eius omnes milites primo congressu pulsi fugatique. Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti; nam ferme Numidas in omnibus proeliis magis pedes quam arma tuta sunt.

75. Ea fuga Iugurtha inpensius modo rebus suis diffidens cum perfugis et parte equitatus in solitudines, dein Thalam pervenit, in oppidum magnum atque opulentum, ubi plerique thesauri filiorumque eius multus pueritiae cultus erat. Quae postquam Metello conperta sunt, quamquam inter Thalam flumenque proxumum in spatio milium quinquaginta, loca arida atque vasta esse cognoverat, tamen spe patrandi belli, si eius oppidi

---

5. *agitabatur* V. — 9. *spem in armis* V. — 10. *fide* K. — *ita* om. Gerlachii typotheta. — 13. *instructique sunt, deinde* V. — 15. *omnes eius* G. om. *omnes* K. — 17. *et aliquanto numero hostium paucorum* V. — 18. *Numidis* G. — 19. *tutata* blt. *tutati* V. — (22. *in*] *id* Codd. aliq. om. *in* Codd.) — *et* V. K. — 23. *ibique* V. — *filiorum* V. — 25. om. *in* K.

potitus foret, omnis asperitates supervadere ac naturam etiam vincere adgreditur. Igitur omnia iumenta sarcinis levari iubet nisi frumento dierum decem, ceterum utris modo et alia aquae idonea portari. Praeterea conquirit ex agris quam plurumum potest domiti pecoris, eoque inponit vasa quoiusque modi, sed pleraque lignea, conlecta ex tuguriis Numidarum. Ad hoc finitumis imperat, qui se post regis fugam Metello dederant, quam plurumum quisque aquae portaret; diem locumque, ubi praesto [fuerint], praedicit. Ipse ex flumine, quam proxumam oppido aquam esse supra diximus, iumenta onerat; eo modo instructus ad Thalam proficiscitur. Deinde ubi ad id loci ventum, quo Numidis praeceperat, et castra posita munitaque sunt, tanta repente caelo missa vis aquae dicitur, ut ea modo exercitui satis superque foret. Praeterea conmeatus spe amplior, quia Numidae, sicuti plerique in nova deditione, officia intenderant. Ceterum milites religione pluvia magis usi, eaque res multum animis eorum addidit; nam rati sese dis inmortalibus curae esse. Deinde postero die contra opinionem Iugurthae ad Thalam perveniunt. Oppidani, qui se locorum asperitate munitos crediderant, magna atque insolita re perculsi, nihilo segnius bellum parare; idem nostri facere.

76. Sed rex nihil iam infectum Metello credens, quippe qui omnia, arma tela, locos tempora, denique naturam ipsam ceteris imperitantem industria vicerat, cum liberis et magna parte pecuniae ex oppido noctu profugit, neque postea in ullo loco amplius uno die

---

5. *eo* G. — 10. *fuerint*] Cod. Einsied. G. *fuerit* bptl. *sint* Franc. *forent* V. K. — 11. om. *esse* K. — 19. *addiderat* V. — 20. *Dein* V. — 25. *Metello infectum* V. — 29. *una die* V.

aut una nocte moratus simulabat sese negoti gratia properare; ceterum proditionem timebat, quam vitare posse celeritate putabat; nam talia consilia per otium et ex opportunitate capi. At Metellus, ubi oppidanos proelio intentos, simul oppidum et operibus et loco munitum videt, vallo fossaque moenia circumvenit. Deinde locis ex copia maxume idoneis vineas agere, aggerem iacere et super aggerem inpositis turribus opus et administros tutari. Contra haec oppidani festinare, parare; prorsus ab utrisque nihil reliquum fieri. Denique Romani multo ante labore proeliisque fatigati, post dies quadraginta quam eo ventum erat, oppido modo potiti, praeda omnis ab perfugis conrupta. Ii postquam murum arietibus feriri resque suas adflictas vident, aurum atque argentum et alia, quae prima ducuntur, domum regiam conportant; ibi vino et epulis onerati, illaque et domum et semet igni conrumpunt, et quas victi ab hostibus poenas metuerant, eas ipsi volentes pependere.

77. Sed pariter cum capta Thala legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant orantes, uti praesidium praefectumque eo mitteret; Hamilcarem quendam, hominem nobilem, factiosum, novis rebus studere, advorsum quem neque imperia magistratuum neque leges valerent; ni id festinaret, in summo periculo suam salutem, illorum socios fore. Nam Leptitani iam inde a principio belli Iugurthini ad Bestiam consulem et postea Romam miserant amicitiam societatemque rogatum. Deinde, ubi ea inpetrata, semper boni fidelesque

3. *otium ex* V. — 6. *iubet locis* V. G. — 7. *agere, superque eas aggerem* V. *agere,* [*superque eas*] *aggerem* G. — 8. *ministros* V. — 13. *a* V. — *corrupta est* V. — *Hi* V. — 14. *aurum argentumque* V. — 18. *pendere* V. — 24. *id ni* V. — 28. *dein* V. — *impetrata sunt* V.

mansere et cuncta a Bestia, Albino Metelloque imperata nave fecerant. Itaque ab imperatore facile, quae petebant, adepti. Emissae eo cohortes Ligurum quattuor et G. Annius praefectus.

78. Id oppidum ab Sidoniis conditum est, quos accepimus profugos ob discordias civilis, navibus in eos locos venisse; ceterum situm inter duas Syrtis, quibus nomen ex re inditum. Nam duo sunt sinus prope in extrema Africa, inpares magnitudine, pari natura; quorum proxuma terrae praealta sunt, cetera, uti fors tulit, alta, aliâ in tempestate vadosa. Nam ubi mare magnum esse et saevire ventis coepit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt; ita facies locorum cum ventis simul mutatur: Syrtes ab tractu nominatae. Eius civitatis lingua modo convorsa connubio Numidarum, legum cultusque pleraque Sidonica, quae eo facilius retinebant, quod procul ab imperio regis aetatem agebant. Inter illos et frequentem Numidiam multi vastique loci erant.

79. Sed quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus, non indignum videtur egregium atque mirabile facinus duorum Karthaginiensium memorare; eam rem nos locus admonuit. Qua tempestate Karthaginienses pleraque Africa imperitabant, Cyrenenses quoque magni atque opulenti fuere. Ager in medio arenosus, una specie; neque flumen neque mons erat, qui finis eorum discerneret; quae res eos in magno diuturnoque bello inter se habuit. Postquam utrimque le-

2. *gnaviter* V. — 3. *adepti sunt* V. — *Missae* V. *et missae* auctore Muellero K. — 9. *pares* V. — 11. *alta alia, alia in* Cod. Bern. 1. G. Sed *alia* hic est ablativus. Or. — 14. *nominatae sunt* V. — 24. *pleraque Africa*] Arusianus p. 237. Lind. K. *pleraeque Africae* Libri Salustii, nisi quod in Einsied. superscr. est *a*. V. G.

giones item classes saepe fusae fugataeque, et alteri alteros aliquantum adtriverant, veriti, ne mox victos victoresque defessos alius adgrederetur, per inducias sponsionem faciunt, uti certo die legati domo proficiscerentur; quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur. Igitur Karthagine duo fratres missi, quibus nomen Philaenis erat, maturavere iter pergere, Cyrenenses tardius iere. Id socordiane an casu acciderit, parum cognovi. Ceterum solet in illis locis tempestas haud secus atque in mari retinere. Nam ubi per loca aequalia et nuda gignentium ventus coortus arenam humo excitavit, ea magna vi agitata ora oculosque inplere solet, ita prospectu inpedito morari iter. Postquam Cyrenenses aliquanto posteriores se vident et ob rem conruptam domi poenas metuunt, criminari Karthaginiensis ante tempus domo digressos, conturbare rem, denique omnia malle quam victi abire. Sed quom Poeni aliam condicionem, tantummodo aequam, peterent, Graeci optionem Karthaginiensium faciunt, ut vel illi, quos finis populo suo peterent, ibi vivi obruerentur, vel eadem condicione sese, quem in locum vellent, processuros. Philaeni condicione probata seque vitamque suam rei publicae condonavere; ita vivi obruti. Karthaginienses in eo loco Philaenis fratribus aras consecravere, aliique illis domi honores instituti. Nunc ad rem redeo.

80. Iugurtha postquam amissa Thala nihil satis firmum contra Metellum putat, per magnas solitudines cum paucis profectus, pervenit ad Gaetulos, genus hominum ferum incultumque et eo tempore ignarum nominis Romani. Eorum multitudinem in unum cogit ac

---

7. *Philaenes* V. — 15. *sese* V. — 19. *Carthaginiensibus* V. K.

paullatim consuefacit ordines habere, signa sequi, imperium observare, item alia militaria facere. Praeterea regis Bocchi proxumos magnis muneribus et maioribus promissis ad studium sui perducit, quis adiutoribus regem adgressus inpellit, uti advorsum Romanos bellum incipiat. Id ea gratia facilius proniusque fuit, quod Bocchus initio huiusce belli legatos Romam miserat, foedus et amicitiam petitum, quam rem opportunissumam incepto bello pauci inpediverant caeci avaritia, quis omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat. Etiam antea Iugurthae filia Bocchi nupserat. Verum ea necessitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur, quia singuli pro opibus quisque quam plurumas uxores, denas alii, alii pluris habent, sed reges eo amplius. Ita animus multitudine distrahitur, nulla pro socia obtinet, pariter omnes viles sunt.

81. Igitur in locum ambobus placitum exercitus conveniunt; ibi fide data et accepta Iugurtha Bocchi animum oratione accendit: Romanos iniustos, profunda avaritia, conmunis omnium hostis esse; eandem illos causam belli cum Boccho habere quam secum et cum aliis gentibus, lubidinem imperitandi, quis omnia regna advorsa sint; tum sese, paullo ante Karthaginiensis, item regem Persen, post, uti quisque opulentissumus videatur, ita Romanis hostem fore. His atque aliis talibus dictis ad Cirtam oppidum iter constituunt, quod ibi Metellus praedam captivosque et inpedimenta locaverat. Ita Iugurtha ratus aut capta urbe operae pretium fore aut, si Romanus auxilio suis venisset, proelio

5. *advorsus* G. — 6. *suscipiat* V. K. — 11. *Boccho* V. G. — 15. *nullam* V. — 22. *libidine* V. — 24. *Persen regem* K. — 27. *Q. Metellus* V. — 28. om *operae* G. — 29. *si dux Romanus* V.

sese certaturos. Nam callidus id modo festinabat, Bocchi pacem inminuere, ne moras agitando aliud quam bellum mallet.

82. Imperator postquam de regum societate cognovit, non temere neque, uti saepe iam victo Iugurtha consueverat, omnibus locis pugnandi copiam facit; ceterum haud procul ab Cirta castris munitis reges obperitur, melius esse ratus, cognitis Mauris, quoniam is novos hostis accesserat, ex commodo pugnam facere. Interim Roma per litteras certior fit provinciam Numidiam Mario datam; nam consulem factum ante acceperat. Quis rebus supra bonum atque honestum perculsus, neque lacrumas tenere neque moderari linguam; vir egregius in aliis artibus nimis molliter aegritudinem pati. Quam rem alii in superbiam vortebant, alii bonum ingenium contumelia accensum esse, multi, quod iam parta victoria ex manibus eriperetur. Nobis satis cognitum est, illum magis honore Mari quam iniuria sua excruciatum, neque tam anxie laturum fuisse, si adempta provincia alii quam Mario traderetur.

83. Igitur eo dolore inpeditus, et quia stultitiae videbatur alienam rem periculo suo curare, legatos ad Bocchum mittit postulatum, ne sine causa hostis populo Romano fieret; habere tum magnam copiam societatis amicitiaeque coniungendae, quae potior bello esset; quamquam opibus suis confideret, tamen non debere incerta pro certis mutare; omne bellum sumi facile, ceterum aegerrume desinere; non in eiusdem potestate initium eius et finem esse; incipere quoivis, etiam ignavo, licere, deponi, quom victores velint; proinde sibi regnoque suo consuleret, neu florentis res suas

11. *antea* V. — 24. *tum*] *cum* V.

cum Iugurthae perditis misceret. Ad ea rex satis placide verba facit: sese pacem cupere, sed Iugurthae fortunarum misereri; si eadem illi copia fieret, omnia conventura. Rursus imperator contra postulata Bocchi nuntios mittit; ille probare partim, alia abnuere. Eo modo saepe ab utroque missis remissisque nuntiis tempus procedere et ex Metelli voluntate bellum intactum trahi.

84. At Marius, ut supra diximus, cupientissuma plebe consul factus, postquam ei provinciam Numidiam populus iussit, antea iam infestus nobilitati, tum vero multus atque ferox instare, singulos modo, modo univorsos laedere; dictitare sese consulatum ex victis illis spolia cepisse; alia praeterea magnifica pro se, et illis dolentia. Interim, quae bello opus erant, prima habere; postulare legionibus subplementum, auxilia a populis et regibus sociisque arcessere, praeterea ex Latio fortissumum quemque, plerosque militiae, paucos fama cognitos accire, et ambiundo cogere homines emeritis stipendiis secum proficisci. Neque illi senatus, quamquam advorsus erat, de ullo negotio abnuere audebat; ceterum subplementum etiam laetus decreverat, quia neque plebi militia volenti putabatur et Marius aut belli usum aut studia volgi amissurus. Sed ea res frustra sperata; tanta lubido cum Mario eundi plerosque invaserat. Sese quisque praeda locupletem fore, victorem domum rediturum, alia huiuscemodi animis trahebant, et eos non paullum oratione sua Marius adrexerat. Nam postquam omnibus, quae postulaverat, decretis milites scribere volt, hortandi causa, simul et nobilitatem, uti consueverat, exagitandi, contionem populi advocavit. Deinde hoc modo disseruit:

---

16. *accersere* G. K. — 21. *plebe militiam volente* V. — 22. om. *et* V.

85. «Scio ego, Quirites, plerosque non isdem artibus imperium a vobis petere et, postquam adepti sunt, gerere; primo industrios, supplicis, modicos esse, dein per ignaviam et superbiam aetatem agere. Sed mihi contra ea videtur; nam quo pluris est universa res publica quam consulatus aut praetura, eo maiore cura illam administrari quam haec peti debere. Neque me fallit, quantum cum maxumo vostro beneficio negoti sustineam. Bellum parare simul et aerario parcere, cogere ad militiam eos, quos nolis offendere, domi forisque omnia curare, et ea agere inter invidos, occursantis, factiosos, opinione, Quirites, asperius est. Ad hoc, alii si deliquere, vetus nobilitas, maiorum fortia facta, cognatorum et adfinium opes, multae clientelae, omnia haec praesidio adsunt; mihi spes omnes in memet sitae, quas necesse est virtute et innocentia tutari; nam alia infirma sunt. Et illud intellego, Quirites, omnium ora in me convorsa esse, aequos bonosque favere, quippe mea bene facta rei publicae procedunt, nobilitatem locum invadendi quaerere. Quo mihi acrius adnitendum est, uti neque vos capiamini et illi frustra sint. Ita ad hoc aetatis a pueritia fui, ut omnis labores, pericula consueta habeam. Quae ante vostra beneficia gratuito faciebam, ea uti accepta mercede deseram, non est consilium, Quirites. Illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulavere; mihi, qui omnem aetatem in optumis artibus egi, bene facere iam ex consuetudine in naturam vortit. Bellum me gerere cum Iugurtha

3. *deinde* K. — 5. om. *ea* V. — om. *est* G. — *universa resp. pluris est* V. — 8. *vestro maximo* V. — *benef. vostro* K. — 16. *et virtute* V. K. — 19. *benefacta mea* V. K. — 20. *invadendi me quaerere locum* V. — 21. *ut* K.

iussistis, quam rem nobilitas aegerrume tulit. Quaeso, reputate cum animis vostris, num id mutari melius sit, si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris prosapiae ac multarum imaginum et nullius stipendi, scilicet ut in tanta re ignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem offici sui. Ita plerumque evenit, ut quem vos imperatorem iussistis, is sibi imperatorem alium quaerat. Atque ego scio, Quirites, qui, postquam consules facti sunt, acta maiorum et Graecorum militaria praecepta legere coeperint; praeposteri homines: nam gerere quam fieri tempore posterius, re atque usu prius est. Comparate nunc, Quirites, cum illorum superbia me hominem novom. Quae illi audire et legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi; quae illi litteris, ea ego militando didici. Nunc vos existumate, facta an dicta pluris sint. Contemnunt novitatem meam, ego illorum ignaviam; mihi fortuna, illis probra obiectantur. Quamquam ego naturam unam et communem omnium existumo, sed fortissumum quemque generosissumum. Ac si iam ex patribus Albini aut Bestiae quaeri posset, mene an illos ex se gigni maluerint, quid responsuros creditis, nisi sese liberos quam optumos voluisse? Quodsi iure me despiciunt, faciunt idem maioribus suis, quibus uti mihi ex virtute nobilitas coepit. Invident honori meo; ergo invideant labori, innocentiae, periculis etiam meis, quoniam per haec illum cepi. Verum homines conrupti superbia ita

---

8. *imperatorem*] Vatic. K. *imperare* V. G. — *is* [*sibi*] G. — 12. *gerere*] *legere* V. — 14. *me hominem novum cum illorum superbia* V. — 15. *partim* Cortius. Kritzii typotheta. — 16. *didici militando* V. — 21. *generosum esse. Ac* V. — 24. *despiciunt me* V. — 25. *faciant* V. K.

aetatem agunt, quasi vostros honores contemnant; ita hos petunt, quasi honeste vixerint. Nae illi falsi sunt, qui divorsissumas res pariter exspectant, ignaviae voluptatem et praemia virtutis. Atque etiam, quom apud vos aut in senatu verba faciunt, pleraque oratione maiores suos extollunt, eorum fortia facta memorando clariores sese putant. Quod contra est; nam quanto vita illorum praeclarior, tanto horum socordia flagitiosior. Et profecto ita se res habet: maiorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona neque mala eorum in occulto patitur. Huiusce rei ego inopiam fateor, Quirites, verum id, quod multo praeclarius est, meamet facta mihi dicere licet. Nunc videte, quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi adrogant, id mihi ex mea non concedunt, scilicet quia imagines non habeo et quia mihi nova nobilitas est, quam certe peperisse melius est quam acceptam conrupisse. Equidem ego non ignoro, si iam mihi respondere velint, abunde illis facundam et conpositam orationem fore. Sed in maxumo vostro beneficio, quom omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere, ne quis modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem ex animi mei sententia nulla oratio laedere potest; quippe vera necesse est bene praedicet, falsam vita moresque mei superant. Sed quoniam vostra consilia accusantur, qui mihi summum honorem et maxumum negotium inposuistis, etiam atque etiam reputate, num eorum poenitundum sit. Non possum fidei causa imagines neque

---

2. *Ne* K. — 3. *expetant* V. — 10. *bona eorum neque mala* V. K. — 11. *fateor*] Cod. Vatic. G. *patior* bple. V. K. — 19. *facundiam* V. — 22. [*mei*] G. — 23. *laedere nulla oratio* V. (ut praebet Cod. Leidensis 1. saepe cum Victorio conspirans.)

triumphos aut consulatus maiorum meorum ostentare, at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona, praeterea cicatrices advorso corpore. Hae sunt meae imagines, haec nobilitas, non hereditate relicta, ut illa illis, sed quae egomet plurimis laboribus et periculis quaesivi. Non sunt conposita mea verba; parum id facio; ipsa se virtus satis ostendit; illis artificio opus est, ut turpia facta oratione tegant. Neque litteras Graecas didici; parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. At illa multo optuma rei publicae doctus sum, hostem ferire, praesidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam, hiemem et aestatem iuxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam et laborem tolerare. His ego praeceptis milites hortabor, neque illos arte colam, me opulenter, neque gloriam meam laborem illorum faciam. Hoc est utile, hoc civile imperium. Namque quom tute per mollitiem agas, exercitum subplicio cogere, id est dominum, non imperatorem esse. Haec atque talia maiores vostri faciundo seque remque publicam celebravere. Quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum aemulos contemnit, et omnis honores non ex merito, sed quasi debitos a vobis repetit. Ceterum homines superbissumi procul errant. Maiores eorum omnia, quae licebat, illis reliquere, divitias, imagines, memoriam sui praeclaram; virtutem non reliquere, neque poterant; ea sola neque datur dono neque accipitur. Sordidum me et incultis moribus aiunt, quia parum scite convivium exorno, neque histrionem

---

5. *egomet plurimis*] Cod. Vatic. K. *ego plurimis meis* V. *ego meis plurimis* G. — 6. *mea verba*] Nonius. Cod. Basil. K. *verba mea* V. G. — (15. *arcte* V.) — 18. *mollitiam* V. — 20. *talia*] *alia* V. — *et remp.* V.

ullum, neque pluris preti cocum quam vilicum habeo. Quae mihi lubet confiteri, Quirites; nam ex parente meo et ex aliis sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriae quam divitiarum esse; arma, non supellectilem decori esse. Quin ergo quod iuvat, quod carum aestumant, id semper faciant; ament, potent, ubi adulescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis, dediti ventri et turpissumae parti corporis; sudorem, pulverem et alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis iocundiora sunt. Verum non est ita. Nam ubi se flagitiis dedecoravere turpissumi viri, bonorum praemia ereptum eunt. Ita iniustissume luxuria et ignavia, pessumae artes, illis, qui coluere eas, nihil obficiunt, rei publicae innoxiae cladi sunt. Nunc, quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia poscebant, respondi, pauca de re publica loquar. Primum omnium de Numidia bonum habete animum, Quirites; nam quae ad hoc tempus Iugurtham tutata sunt, omnia removistis, avaritiam, inperitiam atque superbiam. Deinde exercitus ibi est, locorum sciens, sed mehercule magis strenuus quam felix; nam magna pars eius avaritia aut temeritate ducum adtrita est. Quamobrem vos, quibus militaris aetas est, adnitimini mecum et capessite rem publicam, neque quemquam ex calamitate aliorum aut imperatorum superbia metus ceperit. Egomet in agmine, in proelio consultor idem et socius periculi vobiscum adero, meque vosque in omnibus rebus iuxta geram. Et profecto dis iuvantibus omnia matura

1. *coquum* V. — *vilicum]* bpt. V. ut est semper in Inscriptt. *villicum* G. K. — 2. *Nam et ex* V. — 5. *divitiarum [esse]* G. — 18. *habetote* V. — 20. om. *atque* K. — 24. *est aetas* K. — 27. *aut in proelio* V. — 28. *me* V.

sunt, victoria, praeda, laus; quae si dubia aut procul essent, tamen omnis bonos rei publicae subvenire decebat. Etenim nemo ignavia inmortalis factus est, neque quisquam parens liberis, uti aeterni forent, optavit, magis, uti boni honestique vitam exigerent. Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent; nam strenuis abunde dictum puto.»

86. Huiuscemodi oratione habita Marius, postquam plebis animos adrectos videt, propere conmeatu, stipendio, armis aliisque utilibus navis onerat; cum his A. Manlium legatum proficisci iubet. Ipse interea milites scribere, non more maiorum, neque ex classibus, sed uti quoiusque lubido erat, capite censos plerosque. Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem consulis memorabant, quod ab eo genere celebratus auctusque erat, et homini potentiam quaerenti egentissumus quisque opportunissumus, quoi neque sua curae, quippe quae nulla sunt, et omnia cum pretio honesta videntur. Igitur Marius cum aliquanto maiore numero, quam decretum erat, in Africam profectus paucis diebus Uticam advehitur. Exercitus ei traditur a P. Rutilio legato; nam Metellus conspectum Mari fugerat, ne videret ea, quae audita animus tolerare nequiverat.

87. Sed consul expletis legionibus cohortibusque auxiliariis in agrum fertilem et praeda onustum proficiscitur; omnia ibi capta militibus donat, dein castella et oppida natura et viris parum munita adgreditur; proelia multa, ceterum levia, alia aliis locis facere. Interim novi milites sine metu pugnae adesse, videre

---

3. *nemo ignavia]* Codd. Vatic. Paris. V. *ignavia nemo* G. K. — *factus, neque* K. — 10. *aliis* K. — 17. *sua cura* bl. Kritzii typotheta. — 28. *alia levia aliis* Libri omnes. V. Emendavit Ciacconius.

fugientis capi aut occidi, fortissumum quemque tutissumum, armis libertatem, patriam parentesque et alia omnia tegi, gloriam atque divitias quaeri. Sic brevi spatio novi veteresque coaluere, et virtus omnium aequalis facta. At reges, ubi de adventu Mari cognoverunt, divorsi in locos difficilis abeunt. Ita Iugurthae placuerat speranti mox effusos hostis invadi posse, Romanos sicuti plerosque remoto metu laxius licentiusque futuros.

88. Metellus interea Romam profectus contra spem suam laetissumis animis excipitur, plebi patribusque, postquam invidia decesserat, iuxta carus. Sed Marius inpigre prudenterque suorum et hostium res pariter adtendere, cognoscere quid boni utrisque aut contra esset, explorare itinera regum, consilia et insidias eorum antevenire, nihil apud se remissum neque apud illos tutum pati. Itaque et Gaetulos et Iugurtham ex sociis nostris praedas agentis saepe adgressus in itinere fuderat, ipsumque regem haud procul ab oppido Cirta armis exuerat. Quae postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit, statuit urbis, quae viris aut loco pro hostibus et advorsum se opportunissumae erant, singulas circumvenire; ita Iugurtham aut praesidiis nudatum, si ea pateretur, aut proelio certaturum. Nam Bocchus nuntios ad eum saepe miserat, velle populi Romani amicitiam; ne quid ab se hostile timeret. Id simulaveritne, quo inprovisus gravior accideret, an mobilitate ingeni pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum est.

89. Sed consul, uti statuerat, oppida castellaque munita adire, partim vi, alia metu aut praemia ostentando avortere ab hostibus. Ac primo mediocria ge-

17. *praedam* K. — 20. *patrandi copiam cognovit* Leid. V. — 26. *accederet* V.

rebat, existumans Iugurtham ob suos tutandos in manus venturum. Sed ubi illum procul abesse et aliis negotiis intentum accepit, maiora et magis aspera adgredi tempus visum est. Erat inter ingentis solitudines oppidum magnum atque valens, nomine Capsa, quoius conditor Hercules Libys memorabatur. Eius cives apud Iugurtham inmunes, levi imperio et ob ea fidelissumi habebantur, muniti advorsum hostis non moenibus modo et armis atque viris, verum etiam multo magis locorum asperitate. Nam praeter oppido propinqua alia omnia vasta, inculta, egentia aquae, infesta serpentibus, quorum vis sicuti omnium ferarum inopia cibi acrior; ad hoc natura serpentium ipsa perniciosa siti magis quam alia re accenditur. Eius potiundi Marium maxuma cupido invaserat, quom propter usum belli, tum quia res aspera videbatur, et Metellus oppidum Thalam magna gloria ceperat, haud dissimiliter situm munitumque, nisi quod apud Thalam non longe a moenibus aliquot fontes erant, Capsenses una modo atque ea intra oppidum iugi aqua, cetera pluvia utebantur. Id ibique et in omni Africa, quae procul a mari incultius agebat, eo facilius tolerabatur, quia Numidae plerumque lacte et ferina carne vescebantur et neque salem neque alia inritamenta gulae quaerebant; cibus illis advorsum famem atque sitim, non lubidini neque luxuriae erat.

90. Igitur consul omnibus exploratis, credo dis fretus, (nam contra tantas difficultates consilio satis providere non poterat, quippe etiam frumenti inopia temptabatur, quod Numidae pabulo pecoris magis quam

5. *validum* V. — 7. *leni* V.; rursus Palmerius. — 10. *propinqua loca* V. — 11. *quarum* V. — 14. *Eius oppidi potiundi* V. — 20. *idque ibi* V. — 23. om. *carne* V. — *vescebantur, neque* V. — *gulae irritamenta* V.

arvo student, et quodcumque natum fuerat iussu regis in loca munita contulerant, ager autem aridus et frugum vacuus ea tempestate, nam aestatis extremum erat,) tamen pro rei copia satis providenter exornat; pecus omne, quod superioribus diebus praedae fuerat, equitibus auxiliariis agendum adtribuit, A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis ad oppidum Laris, ubi stipendium et conmeatum locaverat, ire iubet dicitque se praedabundum post paucos dies eodem venturum. Sic incepto suo occultato pergit ad flumen Tanam.

91. Ceterum in itinere cotidie pecus exercitui per centurias, item turmas aequaliter distribuerat, et ex coriis utres uti fierent curabat; simul et inopiam frumenti lenire et ignaris omnibus parare, quae mox usui forent; denique sexto die, quom ad flumen ventum est, maxuma vis utrium effecta. Ibi castris levi munimento positis, milites cibum capere atque, uti simul cum occasu solis egrederentur, paratos esse iubet, omnibus sarcinis abiectis, aqua modo seque et iumenta onerare. Dein, postquam tempus visum, castris egreditur noctemque totam itinere facto consedit; idem proxuma facit, dein tertia multo ante lucis adventum pervenit in locum tumulosum ab Capsa non amplius duum milium intervallo; ibique, quam occultissume potest, cum omnibus copiis obperitur. Sed ubi dies coepit et Numidae nihil hostile metuentes, multi oppido egressi, repente omnem equitatum et cum his velocissumos pedites cursu tendere ad Capsam et portas obsidere iubet; deinde ipse intentus propere sequi, neque milites praedari sinere. Quae postquam oppidani cognovere, res trepidae, metus ingens, malum inprovisum, ad hoc pars

10. *Thanam* V. — 17. *ut* V. — 23. *a* V. — 28. *dein* V.

civium extra moenia in hostium potestate, coëgere, uti deditionem facerent. Ceterum oppidum incensum, Numidae puberes interfecti, alii omnes venumdati, praeda militibus divisa. Id facinus contra ius belli non avaritia neque scelere consulis admissum, sed quia locus Iugurthae opportunus, nobis aditu difficilis, genus hominum mobile, infidum ante, neque beneficio neque metu coërcitum.

92. Postquam tantam rem Marius sine ullo suorum incommodo patravit, magnus et clarus antea, maior atque clarior haberi coepit. Omnia non bene consulta in virtutem trahebantur, milites modesto imperio habiti simul et locupletes ad coelum ferre, Numidae magis quam mortalem timere, postremo omnes, socii atque hostes, credere illi aut mentem divinam esse aut deorum nutu cuncta portendi. Sed consul, ubi ea res bene evenit, ad alia oppida pergit, pauca repugnantibus Numidis capit, plura deserta propter Capsensium miserias igni conrumpit; luctu atque caede omnia complentur. Denique multis locis potitus ac plerisque exercitu incruento, aliam rem adgreditur non eadem asperitate qua Capsensium, ceterum haud secus difficilem. Namque haud longe a flumine Mulucha, quod Iugurthae Bocchique regnum disiungebat, erat inter ceteram planitiem mons saxeus, mediocri castello satis patens, in inmensum editus, uno perangusto aditu relicto, nam omnis naturâ velut opere atque consulto praeceps. Quem locum Marius, quod ibi regis thesauri erant, summa vi

---

7. *infidum, ante neque* V. — 10. *patravit] peregit* V. — *atque clarus* K. — 11. *et clarior* K. — *Omnia, non bene consulta modo, verum etiam casu data in* ex paucis Codd. interpolatis K. — 18. om. *deserta* V. — 26. *nam per omnia* V. *nam omnia* G.

capere intendit. Sed ea res forte quam consilio melius gesta. Nam castello virorum atque armorum satis, magna vis frumenti et fons aquae, aggeribus turribusque et aliis machinationibus locus inportunus, iter castellanorum angustum admodum, utrimque praecisum. Vineae cum ingenti periculo frustra agebantur; nam quom eae paullo processerant, igni aut lapidibus conrumpebantur, milites neque pro opere consistere propter iniquitatem loci, neque inter vineas sine periculo administrare; optumus quisque cadere aut sauciari, ceteris metus augeri.

93. At Marius, multis diebus et laboribus consumptis, anxius trahere cum animo suo, omitteretne inceptum, quoniam frustra erat, an fortunam obperiretur, qua saepe prospere usus fuerat. Quae quom multos dies noctisque aestuans agitaret, forte quidam Ligus, ex cohortibus auxiliariis miles gregarius, castris aquatum egressus, haud procul ab latere castelli, quod avorsum proeliantibus erat, animum advortit inter saxa repentis cocleas; quarum quom unam atque alteram, dein plures peteret, studio legundi paullatim prope ad summum montis egressus est. Ubi postquam solitudinem intellexit, more humani ingeni cupido difficilia faciundi animum vortit. Et forte in eo loco grandis

---

2. *satis magna vis erat, et frumenti* V. — 3. *vis [et] frumenti* G. — 7. *quom eae paullo]* Codd. optimi. V. *quom eae paullum* Cortii typotheta. K. *quom eae ex plano paullum* Codd. quattuor interpolati. *quom ex plano processerant* G. — 15. *erat* Cod. Turic. — 19. *advorsum* V. G. — *animadvertit* V. — 20. *reptantes* V. — *cochleas* K. — 21. *deinde* V. — 23. *humani ingeni]* Libri. *ingeni humani* G. K. „*more humanae cupidinis ignara visundi* Salustius" (alicubi) Gell. 9, 12. extr. Item Nonius p. 129. Merc. sed: „Salustius in Iugurthino bello." Recepit Victorius. (*more humani ingeni cupido ignara visundi invadit* ex arbitraria interpolatione Cortius.) — 24. *animum vortit]* ex bonis Codd. G. K. *animum advertit* V. Faber.

ilex coaluerat inter saxa, paullum modo prona, dein flexa atque aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert; quoius ramis modo, modo eminentibus saxis nisus Ligus castelli planitiem perscripsit, quod cuncti Numidae intenti proeliantibus aderant. Exploratis omnibus, quae mox usui fore ducebat, eadem regreditur, non temere, uti escenderat, sed temptans omnia et circumspiciens. Itaque Marium propere adit, acta edocet, hortatur, ab ea parte, qua ipse escenderat, castellum temptet; pollicetur sese itineris periculique ducem. Marius cum Ligure promissa eius cognitum ex praesentibus misit; quorum uti quoiusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem nuntiavere. Consulis animus tamen paullum adrectus. Itaque ex copia tubicinum et cornicinum numero quinque quam velocissumos delegit, et cum his, praesidio qui forent, quattuor centuriones, omnisque Liguri parere iubet, et ei negotio proxumum diem constituit.

94. Sed ubi ex praecepto tempus visum, paratis conpositisque omnibus ad locum pergit. Ceterum illi, qui adscensuri erant, praedocti ab duce, arma ornatumque mutaverant, capite atque pedibus nudis, uti prospectus nisusque per saxa facilius foret; super terga gladii et scuta, verum ea Numidica ex coriis, ponderis

1. *deinde* V. K. — 4. *castelli planitiem perscripsit]* Cod. Turic. Alii. Sed coniicio legendum: *in castelli planitiem perrepsit. castelli planitiem perscribit* Codd. plerique, et ex optimis. V. G. Explicant: „animo concipit planitiei situm et formam." *in castelli planitiem pervenit* Codd. Basil. Paris. 1. ex interpolatione. K. — 7. *ascenderat* V. (sicque volebat Kritzius.) — 9. *docet* V. — *adscenderat* G. *descenderat* Turic., V. — 10. *ut temptet* V. — 14. *paullulum* V. — *arrectus est* V. — 19. *visum est* V. — 21. *qui ascensuri erant]* ex Codd. aliq. K. *qui centuriis praeerant* V. G. (*qui centuri* (sic) *erant* Cod. Paris.) Fort. *qui escensuri erant*. p. 135, 23. 136, 7. 9. 137, 3. Bait.

gratia simul et offensa quo levius streperent. Igitur praegrediens Ligus saxa, et si quae vetustate radices eminebant, laqueis vinciebat, quibus adlevati milites facilius escenderent, interdum timidos insolentia itineris levare manu, ubi paullo asperior adscensus erat, singulos prae se inermis mittere, deinde ipse cum illorum armis sequi, quae dubia nisu videbantur, potissumus temptare, ac saepius eadem adscendens descendensque, dein statim digrediens, ceteris audaciam addere. Igitur diu multumque fatigati tandem in castellum perveniunt, desertum ab ea parte, quod omnes sicuti aliis diebus advorsum hostis aderant. Marius, ubi ex nuntiis, quae Ligus egerat, cognovit, quamquam toto die intentos proelio Numidas habuerat, tum vero cohortatus milites et ipse extra vineas egressus, testudine acta succedere et simul hostem tormentis sagittariisque et funditoribus eminus terrere. At Numidae saepe antea vineis Romanorum subvorsis, item incensis, non castelli moenibus sese tutabantur; sed pro muro dies noctisque agitare, maledicere Romanis ac Mario vecordiam obiectare; militibus nostris Iugurthae servitium minari, secundis rebus feroces esse. Interim omnibus, Romanis hostibusque, proelio intentis, magna utrimque vi pro gloria atque imperio his, illis pro salute certantibus, repente a tergo signa canere; ac primo mulieres et pueri, qui visum processerant, fugere, deinde uti quisque muro proxumus erat, postremo cuncti, armati inermesque. Quod ubi accidit, eo acrius Romani instare, fundere ac plerosque tantummodo sauciare, dein super occisorum corpora vadere, avidi gloriae certantes murum

2. *vetustae* V. — 4. *ascenderent* V. — 6. *inermos* V. G. — *dein* V. — 7. *nisui* V. G. — *potissimum* V. — 9. *degrediens* V. — 22. *Romanis omnibus* G. — 23. *vi utrimque* V. — 30. *vadere corpora* V.

petere, neque quemquam omnium praeda morari. Sic forte conrecta Mari temeritas gloriam ex culpa invenit.

95. Ceterum dum ea res geritur, L. Sulla quaestor cum magno equitatu in castra venit, quos uti ex Latio et a sociis cogeret, Romae relictus erat. Sed quoniam nos tanti viri res admonuit, idoneum visum est de natura cultuque eius paucis dicere; neque enim alio loco de Sullae rebus dicturi sumus, et L. Sisenna optume et diligentissume omnium, qui eas res dixere, persecutus, parum mihi libero ore locutus videtur. Igitur Sulla gentis patriciae nobilis fuit, familia prope iam exstincta maiorum ignavia, litteris Graecis atque Latinis iuxta, atque doctissume, eruditus, animo ingenti, cupidus voluptatum, sed gloriae cupidior, otio luxurioso esse; tamen ab negotiis numquam voluptas remorata, nisi quod de uxore potuit honestius consuli; facundus, callidus et amicitia facilis; ad simulanda negotia altitudo ingeni incredibilis; multarum rerum ac maxume pecuniae largitor. Atque illi, felicissumo omnium ante civilem victoriam, numquam super industriam fortuna fuit, multique dubitavere, fortior an felicior esset; nam postea quae fecerit, incertum habeo, pudeat magis an pigeat disserere.

96. Igitur Sulla, uti supra dictum est, postquam in Africam atque in castra Mari cum equitatu venit, rudis antea et ignarus belli, sollertissumus omnium in paucis tempestatibus factus est. Ad hoc milites benigne adpellare, multis rogantibus, aliis per se ipse dare beneficia, invitus accipere, sed ea properantius quam aes mutuum reddere, ipse ab nullo repetere, magis id la-

---

1. *petere]* *ascendere* V. — 4. *qui uti ex Latio et sociis cogeret exercitum* V. — 12. *et Latinis* G. — 22. *pudeat an pigeat magis* G.

borare, ut illi quam plurumi deberent, ioca atque seria cum humillumis agere, in operibus, in agmine atque ad vigilias multus adesse, neque interim, quod prava ambitio solet, consulis aut quoiusquam boni famam laedere, tantummodo neque consilio neque manu priorem alium pati, plerosque antevenire. Quis rebus et artibus brevi Mario militibusque carissumus factus.

97. At Iugurtha, postquam oppidum Capsam aliosque locos munitos et sibi utilis, simul et magnam pecuniam amiserat, ad Bocchum nuntios mittit, quam primum in Numidiam copias adduceret, proeli faciundi tempus adesse. Quem ubi cunctari accepit et dubium belli atque pacis rationes trahere, rursus, uti antea, proxumos eius donis conrumpit, ipsique Mauro pollicetur Numidiae partem tertiam, si aut Romani Africa expulsi, aut integris suis finibus bellum conpositum foret. Eo praemio inlectus Bocchus cum magna multitudine Iugurtham accedit. Ita amborum exercitu coniuncto, Marium iam in hiberna proficiscentem, vix decuma parte die reliqua, invadunt, rati noctem, quae iam aderat, et victis sibi munimento fore et, si vicissent, nullo inpedimento, quia locorum scientes erant, contra Romanis utrumque casum in tenebris difficiliorem fore. Igitur simul consul ex multis de hostium adventu cognovit, et ipsi hostes aderant et, priusquam exercitus aut instrui aut sarcinas conligere, denique antequam signum aut imperium ullum accipere quivit, equites Mauri atque Gaetuli, non acie neque ullo more proeli, sed catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in nostros concurrunt; qui omnes trepidi

---

1. *uti* V. — 6 *alium priorem* V. — *Quibus* V. — 14. *tertiam partem* V. — 20. *sibi* om. Gerlachii typotheta. — 23. *difficilem* V. — 29. *incurrunt* K.

inproviso metu, ac tamen virtutis memores, aut arma capiebant aut capientis alios ab hostibus defensabant, pars equos escendere, obviam ire hostibus, pugna latrocinio magis quam proelio similis fieri, sine signis, sine ordinibus equites pedites permixti; caedere alios, alios obtruncare; multos, contra advorsos acerrume pugnantis, ab tergo circumvenire; neque virtus neque arma satis tegere, quod hostes numero plures et undique circumfusi erant; denique Romani veteres [novique] et ob ea scientes belli, si quos locus aut casus coniunxerat, orbis facere, atque ita ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant.

98. Neque in eo tam aspero negotio Marius territus aut magis quam antea demisso animo fuit, sed cum turma sua, quam ex fortissumis magis quam familiarissumis paraverat, vagari passim, ac modo laborantibus suis succurrere, modo hostis, ubi confertissumi obstiterant, invadere; manu consulere militibus, quoniam imperare, conturbatis omnibus, non poterat. Iamque dies consumptus erat, quom tamen barbari nihil remittere, atque, uti reges praeceperant, noctem pro se rati, acrius instare. Tum Marius ex copia rerum consilium trahit, atque, uti suis receptui locus esset, collis duos propinquos inter se occupat, quorum in uno, castris parum amplo, fons aquae magnus erat, alter usui opportunus, quia magna parte editus et praeceps pauca munimenta quaerebat. Ceterum apud aquam Sullam cum equitibus noctem agitare iubet; ipse paullatim

1. *attamen* V. — 5. *peditesque* G. — *caedere alios, obtruncare multos: contra* V. — 7. *a* V. — 8. *quia hostes* V. G. — 9. del. *novique* auctoribus Ciacconio et Ursino K. Sine uncis V. G. Est interpolatio ex C. 87. repetita. — 18. *invadere manu: consulere* V.

dispersos milites, neque minus hostibus conturbatis, in unum contrahit, dein cunctos pleno gradu in collem subducit. Ita reges loci difficultate coacti proelio deterrentur, neque tamen suos longius abire sinunt, sed, utroque colle multitudine circumdato, effusi consedere. Dein crebris ignibus factis, plerumque noctis barbari more suo laetari, exsultare, strepere vocibus, et ipsi duces feroces, quia non fugerant, pro victoribus agere. Sed ea cuncta Romanis ex tenebris et editioribus locis facilia visu magnoque hortamento erant.

99. Plurumum vero Marius inperitia hostium confirmatus, quam maxumum silentium haberi iubet, ne signa quidem, uti per vigilias solebant, canere, deinde, ubi lux adventabat, defessis iam hostibus et paullo ante somno captis, de inproviso vigiles, item cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnis signa canere, milites clamorem tollere atque portis erumpere. Mauri atque Gaetuli, ignoto et horribili sonitu repente exciti, neque fugere neque arma capere neque omnino facere aut providere quicquam poterant; ita cunctos strepitu, clamore, nullo subveniente, nostris instantibus, tumultu, terrore, formido quasi vecordia ceperat. Denique omnes fusi fugatique; arma et signa militaria pleraque capta, pluresque eo proelio quam omnibus superioribus interempti. Nam somno et metu insolito inpedita fuga.

100. Dein Marius, uti coeperat, in hiberna; propter

---

8. *fugerant, pro]* Paris. c. a manu sec. Faber. *fugerent pro* auctore Cortio K. *fugere aut pro* bp. *fugere, ac pro* V. *fugere, atque pro* G. — 11. *hostium imperitia* V. — 13. *canere. Deinde* K. — 14. *et]* *ac* V. — 15. *vigiles]* Cortius. G. K. *vectigales* bplt. V. — 16. *omnes* V. K. — om. *signa* V. — 17. *erumpere iubet* V. — 22. *formidine -- acceperat* V. — 26. *in hiberna; propter]* Tur. Paris. al. *hiberna, propter* (om. *in* et *quae*) V. *in hiberna, quae propter* G. *in hiberna proficiscitur, quae propter* K.

conmeatum in oppidis maritumis agere decreverat. Neque tamen victoria socors aut insolens factus, sed pariter atque in conspectu hostium quadrato agmine incedere; Sulla cum equitatu apud dextumos, in sinistra parte A. Manlius cum funditoribus et sagittariis, praeterea cohortis Ligurum curabat; primos et extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat. Perfugae, minume cari et regionum scientissumi, hostium iter explorabant. Simul consul, quasi nullo inposito, omnia providere, apud omnis adesse, laudare et increpare merentis. Ipse armatus intentusque, item milites cogebat; neque secus, atque iter facere, castra munire, excubitum in porta cohortis ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere, praeterea alios super vallum in munimentis locare, vigilias ipse circumire, non tam diffidentia futurum, quae imperavisset, quam uti militibus exaequatus cum imperatore labos volentibus esset. Et sane Marius illoque aliisque temporibus Iugurthini belli pudore magis quam malo exercitum coërcebat; quod multi per ambitionem fieri aiebant, pars quod a pueritia consuetum duritiam et alia, quae ceteri miserias vocant, voluptati habuisset; nisi tamen res publica pariter ac saevissumo imperio bene atque decore gesta.

101. Igitur quarto denique die haud longe ab oppido Cirta undique simul speculatores citi sese ostendunt, qua re hostis adesse intellegitur. Sed quia divorsi redeuntes alius ab alia parte atque omnes idem significabant, consul incertus, quonam modo aciem instrueret, nullo ordine conmutato, advorsum omnia paratus, ibi-

---

3. *ac si in* V. — 7. *locaverat tribunos* V. — 10. om. *et* K. — 11. *intentusque erat* V. — 12. *faceret* V. — 16. *futurum*] e Codd. K. *futurorum* V. *futuri* G. — 17. *labor* V. — 20. *pars* om. V.

dem obperitur. Ita Iugurtham spes frustrata, qui copias in quattuor partis distribuerat, ratus ex omnibus aeque aliquos ab tergo hostibus venturos. Interim Sulla, quem primum hostes adtigerant, cohortatus suos, turmatim et quam maxume confertis equis ipse aliique Mauros invadunt, ceteri in loco manentes ab iaculis eminus emissis corpora tegere et, si qui in manus venerant, obtruncare. Dum eo modo equites proeliantur, Bocchus cum peditibus, quos Volux filius eius adduxerat, neque in priore pugna, in itinere morati, adfuerant, postremam Romanorum aciem invadunt. Tum Marius apud primos agebat, quod ibi Iugurtha cum plurumis erat. Dein Numida, cognito Bocchi adventu, clam cum paucis ad pedites convortit; ibi Latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat: «nostros frustra pugnare, paullo ante Marium sua manu interfectum;» simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna satis inpigre occiso pedite nostro cruentaverat. Quod ibi milites accepere, magis atrocitate rei quam fide nunti terrentur, simulque barbari animos tollere et in perculsos Romanos acrius incedere. Iamque paullum ab fuga aberant, quom Sulla, profligatis iis, quos advorsum ierat, rediens ab latere Mauris incurrit. Bocchus statim avortitur. At Iugurtha, dum sustentare suos et prope iam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus ab equitibus, dextra sinistra omnibus occisis, solus inter tela hostium vitabundus erumpit. Atque interim Marius fugatis equitibus adcurrit auxilio suis, quos pelli iam acceperat. Denique hostes iam undique fusi. Tum spectaculum horribile in campis patentibus: sequi fugere, occidi capi; equi atque viri adflicti, ac multi

1. *Ita*] *Igitur* V. — 22. *his* G.

volneribus acceptis neque fugere posse neque quietem pati, niti modo, ac statim concidere; postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus, et inter ea humus infecta sanguine.

102. Post ea loci consul haud dubie iam victor pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat. Eo post diem quintum quam iterum barbari male pugnaverant, legati a Boccho veniunt, qui regis verbis ab Mario petivere, duos quam fidissumos ad eum mitteret, velle de suo et de populi Romani commodo cum iis disserere. Ille statim L. Sullam et A. Manlium ire iubet. Qui quamquam acciti ibant, tamen placuit verba apud regem facere, uti ingenium aut avorsum flecterent aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sulla, quoius facundiae, non aetati, a Manlio concessum, pauca verba huiuscemodi locutus:

«Rex Bocche, magna nobis laetitia est, quom te talem virum di monuere, uti aliquando pacem quam bellum malles, neu te optumum cum pessumo omnium Iugurtha miscendo conmaculares, simul nobis demeres acerbam necessitudinem, pariter te errantem atque illum sceleratissumum persequi. Ad hoc populo Romano iam a principio melius visum amicos quam servos quaerere; tutiusque rati volentibus quam coactis imperitare. Tibi vero nulla opportunior nostra amicitia, primum, quod procul absumus, in quo offensae minumum, gratia par ac si prope adessemus; dein quod parentis abunde habemus, amicorum neque nobis neque quoiquam omnium

5. *Postealoci* V. *Postea loci* G. — 10. *his* G. — 13. *ingenium aut avorsum uti flecterent* G. — 16. *locutus est* V. — 17. *laetitia nobis* Cod. Basil. V. — 21. *et te* V. — *et illum* V. K. — 23. *a principio inopi melius* V. *a principio [inopi] melius* G. — *visum est* V. — 24. *tutius* G. — 25. *amicitia nostra* V.

satis fuit. Atque hoc utinam a principio tibi placuisset: profecto ex populo Romano ad hoc tempus multo plura bona accepisses, quam mala perpessus es. Sed quoniam humanarum rerum fortuna pleraque regit, quoi scilicet placuisse et vim et gratiam nostram te experiri, nunc, quando per illam licet, festina atque, uti coepisti, perge. Multa atque opportuna habes, quo facilius errata officiis superes. Postremo hoc in pectus tuum demitte, numquam populum Romanum beneficiis victum esse; nam bello quid valeat, tute scis.»

Ad ea Bocchus placide et benigne; simul pauca pro delicto suo verba facit: «Se non hostili animo, sed ob regnum tutandum arma cepisse; nam Numidiae partem, unde vi Iugurtham expulerit, iure belli suam factam; eam vastari a Mario pati nequivisse; praeterea missis antea Romam legatis, repulsum ab amicitia. Ceterum vetera omittere ac tum, si per Marium liceret, legatos ad senatum missurum.» Dein, copia facta, animus barbari ab amicis flexus, quos Iugurtha, cognita legatione Sullae et Manli, metuens id, quod parabatur, donis conruperat.

103. Marius interea, exercitu in hibernaculis conposito, cum expeditis cohortibus et parte equitatus proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam, quo Iugurtha perfugas omnis praesidium inposuerat. Tum rursus Bocchus, seu reputando, quae sibi duobus proeliis venerant, seu admonitus ab aliis amicis, quos inconruptos Iugurtha reliquerat, ex omni copia necessario-

---

3. *perpessus es*] Cod. Misn. Victorius. Faber. K. *perpessus esses* G. — 5. *placuit* V. *placuisse te et* omisso *te* ante v. *experiri* Kritzii typotheta. — 9. *dimitte* G. — 14. om. *vi* V. — 16. *ante* V. — 22. *in hibernis* K. — 27. *evenerant* V.

rum quinque delegit, quorum et fides cognita et ingenia validissuma erant. Eos ad Marium, ac dein, si placeat, Romam legatos ire iubet, agendarum rerum et quocunque modo belli conponendi licentiam ipsis permittit. Illi mature ad hiberna Romanorum proficiscuntur, dein in itinere a Gaetulis latronibus circumventi spoliatique, pavidi, sine decore ad Sullam profugiunt, quem consul in expeditionem proficiscens pro praetore reliquerat. Eos ille non pro vanis hostibus, uti meriti erant, sed adcurate ac liberaliter habuit; qua re barbari et famam Romanorum avaritiae falsam et Sullam ob munificentiam in sese amicum rati. Nam etiamtum largitio multis ignota erat; munificus nemo putabatur nisi pariter volens, dona omnia in benignitate habebantur. Igitur quaestori mandata Bocchi patefaciunt; simul ab eo petunt, uti fautor consultorque sibi adsit; copias, fidem, magnitudinem regis sui et alia, quae aut utilia aut benevolentiae esse credebant, oratione extollunt; dein Sulla omnia pollicito, docti, quo modo apud Marium, item apud senatum verba facerent, circiter dies quadraginta ibidem obperiuntur.

104. Marius postquam confecto negotio, quo intenderat, Cirtam redit, de adventu legatorum certior factus, illosque et Sullam ab Tucca venire iubet, item L. Bellienum praetorem Utica, praeterea omnis undique senatorii ordinis, quibuscum mandata Bocchi cognoscit. Legatis pote-

---

2. *deinde* K. — 5. *deinde* K. *deinde a latronibus Getulis in itinere* V. — 7. *perfugiunt* K. — 9. *ut* K. — 10. *et liberaliter* V. — 12. *in sese agnitum amicum* V. — 18. *benivolentia* V. — 22. *confecto*] V. K. *infecto* G. — *quo intenderat, negotio* K. (*quoi* Palat. 3.) — 24. *Sullam ad se venire* V. *Sullam venire* G. *Sullam ab Utica venire* K. — *itemque* V. — 25. *ab Utica* V. om. h. l. *Utica* K. — 26. *cognoscit: in quibus legatis* V.

stas eundi Romam fit ab consule; interea induciae postulabantur. Ea Sullae et plerisque placuere; pauci ferocius decernunt, scilicet ignari humanarum rerum, quae fluxae et mobiles semper in advorsa mutantur. Ceterum Mauri, inpetratis omnibus, tres Romam profecti cum Gn. Octavio Rusone, qui quaestor stipendium in Africam portaverat; duo ad regem redeunt. Ex his Bocchus quom cetera, tum maxume benignitatem et studium Sullae lubens accepit. Romae legatis eius, postquam errasse regem et Iugurthae scelere lapsum deprecati sunt, amicitiam et foedus petentibus hoc modo respondetur:

«Senatus et populus Romanus benefici et iniuriae memor esse solet. Ceterum Boccho, quoniam poenitet, delicti gratiam facit; foedus et amicitia dabuntur, quom meruerit»

105. Quis rebus cognitis Bocchus per litteras a Mario petivit, uti Sullam ad se mitteret, quoius arbitratu de conmunibus negotiis consuleretur. Is missus cum praesidio equitum atque peditum, item funditorum Balearium; praeterea iere sagittarii et cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris properandi causa, neque his secus atque aliis armis advorsum tela hostium, quod ea levia sunt, muniti. Sed in itinere quinto denique die Volux filius Bocchi, repente in campis patentibus cum mille non amplius equitibus sese ostendit, qui temere et effuse euntes Sullae aliisque omnibus et numerum ampliorem vero et hostilem metum efficiebant. Igi-

---

1. *fit: ab consule interea* V. — 4. *semper*] *saepius* V. — 5. *omnibus rebus* V. — *profecti sunt* V. K. — *Gn.*] C. V. — 6. *Rusone*] Sic legendumst. *Rufone* Codd. pleriq. V. *Rufo* G. K. — *adportaverat* G. — 9. *Romae quoque* V. (*Romaeque* Turic.) — 16. *Quibus* V. — 17. *ut* V. — 19. om. *item* V. G. — *funditorum, baleariorum* V. — 20. *iere* seclusit G. — 22. *adversus* V.

tur se quisque expedire, arma atque tela temptare, intendere, timor aliquantus, sed spes amplior, quippe victoribus, et advorsum eos, quos saepe vicerant. Interim equites exploratum praemissi rem uti erat quietam nuntiant.

106. Volux adveniens quaestorem adpellat dicitque se a patre Boccho obviam illis simul et praesidio missum. Deinde eum et proxumum diem sine metu coniuncti eunt. Post ubi castra locata et diei vesper erat, repente Maurus incerto voltu, pavens ad Sullam adcurrit dicitque sibi ex speculatoribus cognitum, Iugurtham haud procul abesse; simul, uti noctu clam secum profugeret, rogat atque hortatur. Ille animo feroci negat se totiens fusum Numidam pertimescere; virtuti suorum satis credere; etiamsi certa pestis adesset, mansurum potius quam proditis, quos ducebat, turpi fuga incertae ac forsitan post paullo morbo interiturae vitae parceret. Ceterum ab eodem monitus, uti noctu proficiscerentur, consilium adprobat, ac statim milites caenatos esse, in castris ignis quam creberrumos fieri, dein prima vigilia silentio egredi iubet. Iamque nocturno itinere fessis omnibus Sulla pariter cum ortu solis castra metabatur, quom equites Mauri nuntiant Iugurtham circiter duum milium intervallo ante consedisse. Quod postquam auditum est, tum vero ingens metus nostros invadit; credere se proditos a Voluce et insidiis circumventos. Ac fuere, qui dicerent manu vindicandum neque apud illum tantum scelus inultum relinquendum.

---

7. *illi* V. — (9. *die* Cortius.) — 11. *ex*] *a* V. — 20. *esse in castris, ignesque* V. — 21. *deinde* V. — 24. *ante eos* V. Seclusit *eos* G. omissum in Cod. Turic. aliisque paucis. Delevit K.

107. At Sulla, quamquam eadem existumabat, tamen ab iniuria Maurum prohibet; suos hortatur, uti fortem animum gererent; saepe ante paucis strenuis advorsum multitudinem bene pugnatum; quanto sibi in proelio minus pepercissent, tanto tutiores fore, nec quemquam decere, qui manus armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere, in maxumo metu nudum et caecum corpus ad hostis vortere. Deinde Volucem, quoniam hostilia faceret, Iovem maxumum obtestatus, ut sceleris atque perfidiae Bocchi testis adesset, ex castris abire iubet. Ille lacrumans orare, ne ea crederet; nihil dolo factum, ac magis calliditate Iugurthae, quoi videlicet speculanti iter suum cognitum esset. Ceterum, quoniam neque ingentem multitudinem haberet et spes opesque eius ex patre suo penderent, credere illum nihil palam ausurum, quom ipse filius testis adesset; quare optumum factu videri per media eius castra palam transire; sese vel praemissis vel ibidem relictis Mauris solum cum Sulla iturum. Ea res ut in tali negotio probata; ac statim profecti, quia de inproviso acciderant, dubio atque haesitante Iugurtha, incolumes transeunt. Deinde paucis diebus, quo ire intenderant, perventum est.

108. Ibi cum Boccho Numida quidam, Aspar nomine, multum et familiariter agebat, praemissus ab Iugurtha, postquam Sullam accitum audierat, orator et subdole speculatum Bocchi consilia; praeterea Dabar, Massugradae filius, ex gente Masinissae, ceterum materno genere inpar, (nam pater eius ex concubina ortus erat,)

---

1. *aestumabat* V. G. — 3. *a paucis* V. — *adversus* V. — (6. *quem manus* Cod. Turic. et alii pauci.) — 8. *Dein* V. — 10. om. *ex* V. — 15. *eius omnes* V. — 16. *ausurum palam* V. — 17. *factum* K. — 19. *uti* V. — 20. *accesserant* V. *acciderat* Faber. — 26. *Mansugradae* V. — 27. *mater - - orta* Turic. V.

Mauro ob ingeni multa bona carus acceptusque. Quem Bocchus fidum esse Romanis multis ante tempestatibus expertus illico ad Sullam nuntiatum mittit paratum sese facere, quae populus Romanus vellet; conloquio diem, locum, tempus ipse delegeret; consulta sese omnia cum illo integra habere; neu Iugurthae legatum pertimesceret, † quo res conmunis licentius gereretur; nam ab insidiis eius aliter caveri nequivisse. Sed ego conperior Bocchum magis Punica fide quam ob ea, quae praedicabat, simul Romanos et Numidam spe pacis adtinuisse multumque cum animo suo volvere solitum, Iugurtham Romanis an illi Sullam traderet; lubidinem advorsum nos, metum pro nobis suasisse.

109. Igitur Sulla respondit, pauca coram Aspare locuturum, cetera occulte aut nullo aut quam paucissumis praesentibus; simul edocet, quae sibi responderentur. Postquam sicuti voluerat congressi, dicit se missum a consule venisse quaesitum ab eo, pacem an bellum agitaturus foret. Tum rex, uti praeceptum fuerat, post diem decumum redire iubet, ac nihil etiamnunc decrevisse, sed illo die responsurum. Dein ambo in sua castra digressi. Sed ubi plerumque noctis processit, Sulla a Boccho occulte accersitur; ab utroque tantummodo fidi interpretes adhibentur, praeterea Dabar

1. *ob ingenii multa bona Mauro* V. — 2. *antea* V. — 6. *neu*] *Ne* K. — 7. *quo res*] Libri, corrupte. *quin res* Gronovio auctore G. *quo . . . , res* Kritzius, suspicatus: *quo remoto res, accitum esse, quo res* V. ex mera interpolatione. Fortasse: *quom res communis licentius gereretur*, id est, ubi res laxius atque negligentius, quam Sulla vellet, geri videretur. — 8. *cavere* Faber. — 10. *detinuisse* V. — 14. *respondit* om. Cortius, seclusit G. — *pauca se* V. Kritzii typotheta. — 17. *voluerant* V. — 19. *Tunc* Turic. V. — 21. *Deinde* V. K. — (23. *arcessitur* Cortius.)

internuntius, sanctus vir et ex sententia ambobus. Ac statim sic rex incipit:

110. «Numquam ego ratus sum fore, uti rex maxumus in hac terra et omnium, quos novi, privato homini gratiam deberem. Et mehercule, Sulla, ante te cognitum multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigui. Id inminutum, quod ceteri dolere solent, ego laetor; fuerit mihi eguisse aliquando amicitiae tuae, qua apud animum meum nihil carius habeo. Id adeo experiri licet: arma, viros, pecuniam, postremo quidquid animo lubet, sume, utere; et quoad vives, numquam tibi redditam gratiam putaveris; semper apud me integra erit; denique nihil me sciente frustra voles. Nam, ut ego aestumo, regem armis quam munificentia vinci minus flagitiosum est. Ceterum de re publica vostra, quoius curator huc missus es, paucis accipe. Bellum ego populo Romano neque feci neque factum umquam volui: finis meos advorsum armatos armis tutatus sum. Id omitto, quando vobis ita placet; gerite quod voltis cum Iugurtha bellum. Ego flumen Mulucham, quod inter me et Micipsam fuit, non egrediar neque id intrare Iugurtham sinam. Praeterea si quid meque vobisque dignum petiveris, haud repulsus abibis.»

111. Ad ea Sulla pro se breviter et modice, de pace et de communibus rebus multis disseruit. Denique regi patefecit, «quod polliceatur, senatum et populum Romanum, quoniam amplius armis valuissent, non

---

1. *vir iurat ex sententia amborum.* V. — 4. *novi opulentissimus, privato* V. — 7. *indigus* G. — 8. *aliquando pretium tuae amicitiae* V. — 12. om. *tibi* G. — 14. *existumo* K. — 15. om. *est* V. K. — 16. *huc curator* V. — 20. *quod*] *uti* V. K. — 22. om. *id* V. *Iugurtham id intrare* K.

in gratiam habituros; faciundum aliquid, quod illorum magis quam sua rettulisse videretur; id adeo in promptu esse, quoniam Iugurthae copiam haberet; quem si Romanis tradidisset, fore, ut illi plurumum deberetur; amicitiam, foedus, Numidiae partem, quam nunc peteret, tunc ultro adventuram.» Rex primo negitare; adfinitatem, cognationem, praeterea foedus intervenisse; ad hoc metuere, ne fluxa fide usus popularium animos avorteret, quis et Iugurtha carus et Romani invisi erant. Denique saepius fatigatus lenitur et ex voluntate Sullae omnia se facturum promittit. Ceterum ad simulandam pacem, quoius Numida defessus bello avidissumus, quae utilia visa, constituunt. Ita conposito dolo digrediuntur.

112. At rex postero die Asparem Iugurthae legatum adpellat dicitque sibi per Dabarem ex Sulla cognitum, posse condicionibus bellum poni; quamobrem regis sui sententiam exquireret. Ille laetus in castra Iugurthae venit; dein ab illo cuncta edoctus, properato itinere post diem octavum redit ad Bocchum et ei denuntiat, «Iugurtham cupere omnia, quae imperarentur, facere, sed Mario parum confidere; saepe antea cum imperatoribus Romanis pacem conventam frustra fuisse. Ceterum Bocchus si ambobus consultum et ratam pacem vellet, daret operam, ut una ab omnibus quasi de pace in conloquium veniretur, ibique sibi Sullam traderet; quom talem virum in potestatem habuisset, tum fore, uti iussu senatus atque populi Romani foedus fieret,

1. *in gratia* V. — 4. *uti* K. — 6. *primum* V. — 9. *essent* V. — 10. *fatigatus, leniter ex* V. (*fatigatus, leniter et ex* Cortius.) — 12. *avidissimus erat* V. — 16. *componi* V. — 18. *Iugurthae proficiscitur* Turic. V. — *deinde* V. K. — 19. *nuntiat* V. K. — 21. *fidere* K. — 23. om. *Bocchus* K. — 26. *in potestate* V. — 27. *atque populi*] Cortio auctore K. *aut populi* Libri, G. *populique* V.

neque hominem nobilem non sua ignavia sed ob rem publicam in hostium potestate relictum iri.»

113. Haec Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit, ceterum dolo an vere cunctatus, parum comperimus. Sed plerumque regiae voluntates, ut vehementes, sic mobiles, saepe ipsae sibi advorsae. Postea tempore et loco constituto, in conloquium uti de pace veniretur, Bocchus Sullam modo, modo Iugurthae legatum adpellare, benigne habere, idem ambobus polliceri. Illi pariter laeti ac spei bonae pleni esse. Sed nocte ea, quae proxuma fuit ante diem conloquio decretum, Maurus adhibitis amicis ac statim, inmutata voluntate, remotis, dicitur secum ipse multa agitavisse, voltu corporis pariter atque animo varius, quae scilicet tacente ipso occulta pectoris patefecisse. Tamen postremo Sullam accersi iubet et ex eius sententia Numidae insidias tendit. Deinde, ubi dies advenit et ei nuntiatum est Iugurtham haud procul abesse, cum paucis amicis et quaestore nostro quasi obvius honoris causa procedit in tumulum facillumum visu insidiantibus. Eodem Numida cum plerisque necessariis suis inermis, uti dictum erat, accedit ac statim, signo dato, undique simul ex insidiis invaditur. Ceteri obtruncati; Iugurtha Sullae vinctus traditur, et ab eo ad Marium deductus est.

114. Per idem tempus advorsum Gallos ab ducibus nostris Q. Caepione et Gn. Manlio male pugnatum; quo metu Italia omnis contremuerat. Illique et inde usque ad nostram memoriam Romani sic habuere, alia

---

4. *vero* V. — 13 *remotis*] Fabr. 1. Cortius, K. *remotis celeris* ceteri libri noti, V. G. — *multum* V. G. — *voltu*, *corporis motu pariter* V. — 15. *occulta oris immutatione patefecisse.* V. — 16. *accersiri* V. K. — *eius*] *illius* V. — 20. *visum* V. — 26. *Gn.*] *C.* V. — 27. *Ibique* K. coniectura.

omnia virtuti suae prona esse: cum Gallis pro salute, non pro gloria, certare. Sed postquam bellum in Numidia confectum et Iugurtham Romam vinctum adduci nuntiatum est, Marius consul absens factus et ei decreta provincia Gallia; isque Kalendis Ianuariis magna gloria consul triumphavit. Ea tempestate spes atque opes civitatis in illo sitae.

---

3. *vinctum adduci Romam* K. — 4. *factus est* V. *factus* [*est*] G. — 6. *Ex ea* V. —

C. SALUSTI CRISPI

ORATIONES ET EPISTOLAE

EX

HISTORIARUM LIBRIS.

INDEX.

ORATIO LEPIDI CONSULIS

AD

POPULUM ROMANUM.

Clementia et probitas vestra, Quirites, quibus per ceteras gentis maxumi et clari estis, plurumum timoris mihi faciunt advorsum tyrannidem L. Sullae; ne, quae ipsi nefanda aestumatis, ea parum credendo de aliis circumveniamini —: praesertim quom illi spes omnis in scelere atque perfidia sit neque se aliter tutum putet, quam si peior atque intestabilior metu vestro fuerit, quo captis libertatis curam miseria eximat —: aut si provideritis, in vitandis periculis magis quam ulciscendo teneamini. Satellites quidem eius, homines maxumi nominis, optumis maiorum exemplis, nequeo satis mirari, qui dominationis in vos servitium suum mercedem dant et utrumque per iniuriam malunt quam optumo iure liberi agere; praeclara Brutorum atque Aemiliorum et Lutatiorum proles, geniti ad ea, quae maiores virtute peperere, subvortunda! Nam quid a Pyrrho Hannibale Philippoque et Antiocho defensum est aliud quam libertas et suae cuique sedes, neu cui

8. *captis*] V. *captivis* G. — 9. *vitandis*] V. *tutandis* G.

nisi legibus pareremus? Quae cuncta scaevus iste Romulus quasi ab externis rapta tenet, non tot exercituum clade neque consulum et aliorum principum, quos fortuna belli consumpserat, satiatus, sed tum crudelior, quom plerosque secundae res in miserationem ex ira vortunt. Quin solus omnium post memoriam humani . . . . supplicia in post futuros composuit, quis prius iniuria quam vita certa esset; pravissumeque per sceleris inmanitatem adhuc tutus fuit, dum vos metu gravioris serviti a repetunda libertate terremini.

Agendum atque obviam eundum est, Quirites, ne spolia vestra penes illos sint: non prolatandum neque votis paranda auxilia; nisi forte speratis taedium iam aut pudorem tyrannidis Sullae esse et eum per scelus occupata periculosius dimissurum. At ille eo processit, ut nihil gloriosum nisi tutum et omnia retinendae dominationis honesta aestumet. Itaque illa quies et otium cum libertate, quae multi probi potius quam laborem cum honoribus capessebant, nulla sunt: hac tempestate serviundum aut imperitandum, habendus metus est aut faciundus, Quirites. Nam quid ultra? quaeve humana superant aut divina inpolluta sunt? Populus Romanus, paullo ante gentium moderator, exutus imperio gloria iure, agitandi inops despectusque ne servilia quidem alimenta reliqua habet. Sociorum et Lati magna vis civitatè pro multis et egregiis factis a vobis data per unum prohibentur, et plebis innoxiae patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum. Leges iudicia aerarium, provinciae reges penes unum, denique necis civium et vitae licentia.

---

6. *humani*] V. (Videtur excidisse *generis*.) *hominum* G. — 8. *parvissimeque* V. — 16. *ut*] V. *uti* G.

Simul humanas hostias vidistis et sepulchra infecta sanguine civili. Estne viris reliqui aliud quam solvere iniuriam aut mori per virtutem? quoniam quidem unum omnibus finem natura vel ferro saeptis statuit, neque quisquam extremam necessitatem nihil ausus nisi muliebri ingenio exspectat. Verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui praemia turbarum queror, et bellum cupiens, qui iura pacis repeto. Scilicet, quia non aliter salvi satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens et scribà Cornelius aliena bene parata prodegerint; nisi approbaritis omnes proscriptionem innoxiorum ob divitias, cruciatus virorum inlustrium, vastam urbem fuga et caedibus, bona civium miserorum quasi Cimbricam praedam venum aut dono datam. At obiectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum; quod quidem scelerum illius vel maxumum est, non me neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus. Atque illa, quae tum formidine mercatus sum, pretio soluto, iure, dominis tamen restituo neque pati consilium est ullam ex civibus praedam esse. Satis illa fuerint, quae rabie contracta toleravimus, manus conserentis inter se Romanos exercitus et arma ab externis in nosmet vorsa. Scelerum et contumeliarum omnium finis sit. Quorum adeo Sullam non poenitet, ut et facta in gloria numeret et, si liceat, avidius fecerit.

Neque iam quid existumetis de illo, sed quantum audeatis vereor; ne alius alium principem exspectantes ante capiamini, non opibus eius, quae futiles et corruptae sunt, sed vestra socordia, † quam raptum iri

10. *parta* Vatic. sec. — 20. *fuerint]* V. *fuerunt* G. — 29. *quam raptum iri licet et quam audeas* (non: *audeat*) *tum* (non: *tam*) *videri felicem]* V. *audeat tam* G. *audias* Vat. sec. Locus corruptus. Fortasse: *quam raptum ire licet ei, quem audias tum videri felicem.*

licet et quam audeas tum videri felicem. Nam praeter satellites commaculatos quis eadem volt? aut quis non omnia mutata praeter victoriam? Scilicet milites: quorum sanguine Tarulae Scirroque, pessumis servorum, divitiae partae sunt; an, quibus praelatus in magistratibus capiundis Fufidius, ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum? Itaque maxumam mihi fiduciam parit victor exercitus, quoi per tot volnera et labores nihil praeter tyrannum quaesitum est. Nisi forte tribuniciam potestatem evorsum profecti sunt per arma, conditam a maioribus suis, itaque iura et iudicia sibimet extorquerent; egregia scilicet mercede, quom relegati in paludes et silvas contumeliam atque invidiam suam, praemia penes paucos intellegerint. Quare igitur tanto agmine atque animis incedit? Quia secundae res mire sunt vitiis optentui; quibus labefactis, quam formidatus est, tam contemnetur; — nisi forte specie concordiae et pacis, quae sceleri et parricidio suo nomina indidit. Neque aliter rem publicam et belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebes, praeda civilis acerbissuma, ius iudiciumque omnium rerum penes se, quod populi Romani fuit. Quae si vobis pax et composita intelleguntur, maxuma turbamenta rei publicae atque exitia probate, adnuite legibus inpositis, accipite otium cum servitio et tradite exemplum posteris ad rem publicam suimet sanguinis mercede circumveniundam. Mihi quamquam per hoc summum imperium

---

4. *Scirroque]* V. *Seyrtoque* G. — 11. *itaque*] V: *utique* G. — 16. *mirae* V. — *optentius* (sic) V. — 22. *composita*] V. *concordia* G. — 26. *ad rem publicam -- circumveniundam*] V. *ad populum Romanum -- circumveniundum* auctore Aldo G. videturque verum.

satis quaesitum erat nomini maiorum, dignitati atque etiam praesidio, tamen non fuit consilium privatas opes facere, potiorque visa est periculosa libertas quieto servitio. Quae si probatis, adeste, Quirites, et bene iuvantibus divis, M. Aemilium consulem ducem et auctorem sequimini ad recipiundam libertatem.

---

2. *praedio* V. — 5. *divis*] V. *dis* G.

ORATIO L. PHILIPPI

IN

SENATU.

Maxume vellem, patres conscripti, rem publicam quietam esse aut in periculis a promptissumo quoque defendi, denique prava incepta consultoribus noxae esse. Sed contra seditionibus omnia turbata sunt, et ab iis, quos prohibere magis decebat. Postremo, quae pessumi et stultissumi decrevere, ea bonis et sapientibus faciunda sunt. Nam bellum atque arma, quamquam vobis invisa, tamen, quia Lepido placent, sumenda sunt. Nisi forte quoi pacem praestare et bellum pati consilium est. Pro di boni, qui hanc urbem, omissa cura, adhuc tegitis! M. Aemilius, omnium flagitiosorum postremus, qui peior an ignavior sit deliberari non potest, exercitum obprimundae libertatis habet et se e contempto metuendum effecit: vos mussantes et retractantes, verbis et vatum carminibus pacem optatis magis quam defenditis, neque intellegitis mollitia decretorum vobis

---

3. *parva* V. — 10. An *omissa* a senatu *cura?* — 11. *tegitis*] V. *regitis* G. — 13. *secontempto* (sic) V. — 15. *carminis* V.

dignitatem, illi metum detrahi. Atque id iure, quoniam ex rapinis consulatum, ob seditionem provinciam cum exercitu adeptus est. Quid ille ob bene facta cepisset, quoius sceleribus tanta praemia tribuistis?

At scilicet eos, qui ad postremum usque legatos, pacem, concordiam et alia huiuscemodi decreverunt, gratiam ab eo peperisse. Immo despecti et indigni re publica habiti praedae loco aestumantur; quippe metu pacem repetentes, quo habitam amiserant. Equidem a principio, quom Etruriam coniurare, proscriptos accersi, largitionibus rem publicam lacerari videbam, maturandum putabam, et Catuli consilia cum paucis secutus sum. Ceterum illi, qui gentis Aemiliae bene facta extollebant et ignoscendo populi Romani magnitudinem auxisse, nusquam etiamtum Lepidum progressum aiebant, quom privata arma obprimundae libertatis cepisset, sibi quisque opes aut patrocinia quaerundo consilium publicum conruperunt. At tum erat Lepidus latro cum calonibus et paucis sicariis, quorum nemo diurna mercede vitam mutaverit: nunc est pro consule cum imperio, non empto, sed dato a vobis, cum legatis adhuc iure parentibus; et ad eum concurrere homines omnium ordinum conruptissumi, flagrantes inopia et cupidinibus, scelerum conscientia exagitati, quibus quies in seditionibus, in pace turbae sunt; hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt, Saturnini olim, post Sulpici, dein Mari Damasippique, nunc Lepidi satellites. Praeterea Etruria atque omnes reliquiae belli arrectae; Hispaniae armis sollicitae; Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello

---

7. *ab eo*] *habeo* V. — 14. *P. R.* V. *populum Romanum* Faërnus. — 20 *pro Cos.* V. *proconsul* G.

circumspicit: quin praeter idoneum ducem nihil abest ad subvortundum imperium. Quod ego vos oro atque obsecro, patres conscripti, ut animadvortatis, ne patiamini licentiam scelerum quasi rabiem ad integros contactu procedere. Nam, ubi malos praemia secuntur, haut facile quisquam gratuito bonus est. An exspectatis, dum exercitu rursus admoto, ferro atque flamma urbem invadat? Quod multo propius est ab eo, quo agitat, statu, quam ex pace et concordia ad arma civilia; quae ille advorsum divina et humana omnia cepit non pro sua aut quorum simulat iniuria, sed legum ac libertatis subvortundae. Agitur enim ac laceratur animi cupidine et noxarum metu, expers consili, inquies, haec atque illa temptans; metuit otium, odit bellum; luxu atque licentia carendum videt, atque interim abutitur vestra socordia. Neque mihi satis consili est, metum, an ignaviam, an dementiam eam appellem; qui videmini tanta mala quasi fulmen optare se quisque ne attingat, sed prohibere ne conari quidem.

Et quaeso considerate, quam convorsa rerum natura sit. Antea malum publicum occulte, auxilia palam instruebantur, et eo boni malos facile anteibant: nunc pax et concordia disturbantur palam, defenduntur occulte. Quibus illa placent, in armis sunt, vos in metu. Quid exspectatis? nisi forte pudet aut piget recte facere. An Lepidi mandata animos movere? qui placere ait sua quoique reddi, et aliena tenet; belli iura rescindi, quom ipse armis cogat; civitatem confirmari, quibus ademptam negat; concordiae gratia plebei tribuniciam

---

3. *ne*] V. *neu* Vatic. tert. G. — 12. *Agitur*] V. *Angitur* G. — 18. *tanta*] On. *itanta* (sic) V. *intenta* G. — (*itanta* ortum ex geminapraecedentis *i*)

potestatem restitui, ex qua omnes discordiae accensae. Pessume omnium atque inpudentissume, tibine egestas civium et luctus curae sunt? quoi nihil est domi nisi armis partum aut per iniuriam. Alterum consulatum petis, quasi primum reddideris; bello concordiam quaeris, quo parta disturbatur; nostri proditor, istis infidus, hostis omnium bonorum. Ut te neque hominum neque deorum pudet, quos per fidem aut periurio violasti! Qui, quando talis es, maneas in sententia et retineas arma te hortor; neu prolatandis seditionibus, inquies ipse, nos' in sollicitudine adtineas. Neque te provinciae neque leges neque di penates civem patiuntur. Perge, qua coeptas, ut quam maturrume merita invenias.

Vos autem, patres conscripti, quousque cunctando rem publicam intutam patiemini et verbis arma temptabitis? Delectus advorsum vos habiti; pecuniae publice et privatim extortae; praesidia deducta atque inposita; ex lubidine leges imperantur, quom interim vos legatos et decreta paratis. Quanto mehercule avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit, quom intelleget se metu magis quam aequo et bono sustentatum. Nam qui turbas et caedem civium odisse ait et ob id, armato Lepido, vos inermos retinet, quae victis toleranda sunt, ea, quom facere possitis, patiamini potius censet. Ita illi a vobis pacem, vobis ab illo bellum suadet. Haec si placent, si tanta torpedo animos obpressit, ut obliti scelerum Cinnae, quoius in urbem reditu decus ordinis huius interiit, nihilominus vos atque coniuges et liberos Lepido permissuri sitis, quid opus decretis? quid auxilio Catuli? Quin is et alii boni rem publicam frustra curant. Agite ut lubet; parate vobis

---

31. *ut*] V. *uti* G.

Cethegi atque alia proditorum patrocinia, qui rapinas et incendia instaurare cupiunt et rursus advorsum deos penatis manus armare. Sin libertas et vera magis placent, decernite digna nomine et augete ingenium viris fortibus. Adest novos exercitus, ad hoc coloniae veterum militum, nobilitas omnis, duces optumi. Fortuna meliores sequitur: iam illa quae socordia nostra conlecta sunt, dilabentur. Quare ita censeo: Quoniam Lepidus exercitum privato consilio paratum cum pessumis et hostibus rei publicae contra huius ordinis auctoritatem ad urbem ducit, uti Appius Claudius interrex cum Q. Catulo pro consule et ceteris, quibus imperium est, urbi praesidio sint operamque dent, ne quid res publica detrimenti capiat.

---

4. *nomine*] *nomini* V. G. — 5. *novos*] Sic V. — 9. Fort. *M. Lepidus*.

ORATIO CAI COTTAE

AD

POPULUM ROMANUM.

Quirites, multa mihi pericula domi militiaeque, multa advorsa fuere; quorum alia toleravi, partim reppuli deorum auxiliis et virtute mea: in quis omnibus numquam animus negotio defuit neque decretis labos. Malae secundaeque res opes, non ingenium mihi mutabant. At contra in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere. Praeterea senectus, per se gravis, curam duplicat, quoi misero acta iam aetate ne mortem quidem honestam sperare licet. Nam, si parricida vestri sum, et bis genitus hîc deos penatis meos patriamque et summum imperium vilia habeo, quis mihi vivo cruciatus satis est aut quae poena mortuo? quin omnia memorata apud inferos subplicia scelere meo vici. A prima adulescentia in ore vostro privatus et in magistratibus egi: qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia voluere, usi sunt; neque ego callidam facundiam neque ingenium ad male faciundum exercui; avidissumus privatae gratiae maxumas inimicitias pro re publica suscepi; quis

---

4. *numquam]* V. *neque* G.

victus cum illa simul quom egens alienae opis plura mala exspectarem, vos, Quirites, rursus mihi patriam deosque penatis cum ingenti dignitate dedistis. Pro quibus beneficiis vix satis gratus videar, si singulis animam, quam nequeo, concesserim. Nam vita et mors iura naturae sunt: ut sine dedecore cum civibus fama et fortunis integer agas, id dono datur atque accipitur. Consules nos fecistis, Quirites, domi bellique inpeditissuma re publica. Namque imperatores Hispaniae stipendium milites, arma frumentum poscunt; et id res cogit, quoniam defectione sociorum et Sertori per montis fuga neque manu certare possunt neque utilia parare. Exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur; Macedonia plena hostium est, nec minus Italiae marituma et provinciarum; quom interim vectigalia parva et bellis incerta vix partem sumptuum sustinent: ita classe, quae commeatus tuebatur, minore quam antea navigamus.

Haec si dolo aut socordia nostra contracta sunt, agite, ut monet ira, subplicium sumite: sin fortuna communis asperior est, quare indigna vobis nobisque et re publica incipitis? Atque ego, quoius aetati mors propior est, non deprecor, si quid ea vobis incommodi demitur: neque mox ingenio corporis honestius quam pro vostra salute finem vitae fecerim. Adsum en C. Cotta consul; facio quod saepe maiores asperis bellis fecere: voveo dedoque me pro re publica, quam deinde quoi mandetis circumspicite. Nam talem honorem bonus nemo volet, quom fortunae et maris et belli ab aliis acti ratio reddunda aut turpiter moriundum sit.

6. *ut*] V. *uti* G. — 10.[*arma*] V. om. G. — 20. *ut*] V. *uti* G. —

Tantummodo in animis habetote non me ob scelus aut avaritiam caesum, sed volentem pro maxumis beneficiis animam dono dedisse. Per vos, Quirites, et gloriam maiorum, tolerate advorsa et consulite rei publicae! Multa cura summo imperio inest, multi ingentes labores, quos nequidquam abnuitis et pacis opulentiam quaeritis, quom omnes provinciae regna, maria terraeque aspera aut fessa bellis sint.

---

2. *volente* V. — 3. *vos]* V. *vos igitur* G. — 6. *nequiquam* V. G.

EPISTOLA CN. POMPEI

AD

SENATUM.

Si advorsus vos patriamque et deos penatis tot labores et pericula suscepissem, quotiens a prima adulescentia ductu meo scelestissumi hostes fusi et vobis salus quaesita est, nihil amplius in absentem me statuissetis, quam adhuc agitis, patres conscripti, quem contra aetatem proiectum ad bellum saevissumum cum exercitu optume merito, quantum est in vobis, fame, miserruma omnium morte, confecistis. Hac in spe populus Romanus liberos suos ad bellum misit? haec sunt praemia pro volneribus et totiens ob rem publicam fuso sanguine? Fessus scribundo mittundoque legatos omnis opes et spes privatas meas consumpsi, quom interim a vobis per triennium vix annuus sumptus datus est. Per deos inmortalis, utrum censetis me vicem aerari praestare, an exercitum sine frumento et stipendio habere posse? Equidem fateor me ad hoc bellum maiore studio quam consilio profectum; quippe qui nomine modo imperi a vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paravi hostisque in cervicibus iam Italiae agentis ab Alpibus in Hispaniam submovi. Per eas iter

aliud atque Hannibal, nobis opportunius patefeci. Recepi Galliam, Pyrenaeum, Lacetaniam, Indigetis, et primum inpetum Sertori victoris novis militibus et multo paucioribus sustinui hiememque castris inter saevissumos hostis, non per oppida neque ex ambitione mea egi. Quid deinde proelia aut expeditiones hibernas, oppida excisa aut recepta enumerem? quando res plus valet quam verba. Castra hostium apud Sucronem capta et proelium apud flumen Turiam et dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti satis clara vobis sunt: pro quis, o grati patres, egestatem et famem redditis. Itaque meo et hostium exercitui par condicio est; namque stipendium neutri datur: victor uterque in Italiam venire potest. Quod ego vos moneo quaesoque ut animadvortatis, neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere. Hispaniam citeriorem, quae non ab hostibus tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vastavimus praeter maritumas civitates, ultro nobis sumptui onerique. Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit, et nunc malis fructibus ipsa vix agitat. Ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem consumpsi. Reliqui vos estis; qui nisi subvenitis, invito et praedicente me, exercitus hinc et cum eo omne bellum Hispaniae in Italiam transgredientur.

---

1. *aliut* V. — *Annibal* V. — 2. *Lacetaniam]* V. *Laletaniam* G. — 4. *castris]* V. *in castris* G. — 9. *Turiam]* ex historiae fide Ciacconius, Ursinus, Bongarsius. *Durium* V. Cortius. — 19. *ultro]* V. *quae ultro* G.

ORATIO

C. LICINI MACRI TR. PL. AD PL.

Si, Quirites, parum existumaretis, quid inter ius a maioribus relictum vobis et hoc a Sulla paratum servitium interesset, multis mihi disserendum fuit, docendique, quas ob iniurias et quotiens a patribus armata plebes secessisset utique vindices paravisset omnis iuris sui tribunos plebei. Nunc hortari modo reliquum est et ire primum via, qua capessundam arbitror libertatem. Neque me praeterit, quantas opes nobilitatis solus, inpotens, inani specie magistratus, pellere dominatione incipiam, quantoque tutius factio noxiorum agat quam soli innocentes. Sed praeter spem bonam ex vobis, quae metum vicit, statui certaminis advorsa pro libertate potiora esse forti viro quam omnino non certavisse. Quamquam omnes alii creati pro iure vestro vim cunctam et imperia sua gratia aut spe aut praemiis in vos convortere meliusque habent mercede delinquere quam gratis recte facere. Itaque omnes concessere iam in paucorum dominationem, qui per militare nomen aera-

---

a. *C. LICINI MACRI]* *MACRI* V. *M. LICINI* G. — 3. *docendique]* V. *docendumque* G. — 6 *plebei]* *PL.* V. *plebis* G. — 13. *potiore* V. —

rium exercitus, regna provincias occupavere et arcem habent ex spoliis vostris: quom interim more pecorum vos multitudo singulis habendos fruendosque praebetis, exuti omnibus, quae maiores reliquere; nisi quia vobismet ipsi per suffragia, ut praesides olim, nunc dominos destinatis. Itaque concessere illuc omnes: et mox, si vestra receperitis, ad vos plerique. Raris enim animus est ad ea, quae placent, defendenda: ceteri validiorum sunt. An dubium habetis, num obficere quid vobis uno animo pergentibus possit, quos languidos socordesque pertimuere? Nisi forte C. Cotta, ex factione media consul, aliter quam metu iura quaedam tribunis plebei restituit; et, quamquam L. Sicinius primus de potestate tribunicia loqui ausus mussantibus vobis circumventus erat, tamen prius illi invidiam metuere, quam vos iniuriae pertaesum est. Quod ego nequeo satis mirari, Quirites; nam spem frustra fuisse intellexistis. Sulla mortuo, qui scelestum inposuerat servitium, finem mali credebatis. Ortus est longe saevior Catulus. Tumultus intercessit Bruto et Mamerco consulibus; dein C. Curio ad exitium usque insontis tribuni dominatus est. Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quintium, vidistis; quantae denique nunc mihi turbae concitantur! Quae profecto incassum agebantur, si prius quam vos serviundi finem, illi dominationis facturi erant: praesertim quom his civilibus armis dicta alia, sed certatum utrinque de dominatione in vobis sit. Itaque cetera ex licentia aut odio aut avaritia in tempus arsere: permansit una res modo, quae utrinque quaesita est et erepta in posterum, vis tribunicia, telum a maioribus

---

5. *ipsi]* Pomponius Laetus: *ipsis* V. G. — *ut*] V. *uti* G. — 15. *miltuere* (sic) V. — 18. *servitum* V. —

libertati paratum. Quod ego vos moneo quaesoque ut animadvortatis, neu nomina rerum ad ignaviam mutantes otium pro servitio adpelletis. Quo iam ipso frui, si vera et honesta flagitium superaverit, non est condicio: fuisset, si omnino quiessetis. Nunc animum advortere et, nisi viceritis, quoniam omnis iniuria gravitate tutior est, artius habebunt. Quid censes igitur? aliquis vestrum subiecerit. Primum omnium amittundum morem hunc, quem agitis; inpigrae linguae, animi ignavi, non ultra contionis locum memores libertatis. Deinde (ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunos plebei modo, patricium magistratum, libera ab auctoribus patriciis suffragia maiores vostri paravere); quom vis omnis, Quirites, in vobis sit et quae iussa nunc pro aliis toleratis, pro vobis agere aut non agere certe possitis, Iovem aut alium quem deum consultorem exspectatis? Magna illa consulum imperia et patrum decreta vos exsequendo rata efficitis, Quirites, ultroque licentiam in vos auctum atque adiutum properatis. Neque ego vos ultum iniurias hortor; magis uti requiem cupiatis; neque discordias, ut illi criminantur, sed earum finem volens, iure gentium res repeto et, si pertinaciter retinebunt, non arma neque secessionem, tantummodo ne amplius sanguinem vestrum praebeatis, censebo. Gerant habeantque suo modo imperia; quaerant triumphos; Mithridatem, Sertorium et reliquias exsulum persequantur cum imaginibus suis; absit periculum et labos, quibus nulla pars fructus est. Nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur; qua

8. *amittundum*] Arusianus. G. *omittendum* V. — 11. *Deinde*] V. *Dein* G. — 12. *plebei. modo patricium* V. (,) G. — 13. *qum* superscr. *a*. V.

tamen quinis modiis libertatem omnium aestumavere, qui profecto non amplius possunt alimentis carceris. Namque, ut illis exiguitate mors prohibetur, senescunt vires, sic neque absolvit cura familiari tam parva res, et ignaviam quoiusque tenuissuma spe frustratur; qua tamen quamvis ampla, quoniam serviti pretium ostentaretur, quoius torpedinis erat decipi et vostrarum rerum ultro iniuria gratiam debere? Namque alio modo neque valent in universos neque conabuntur. Cavendus dolus est. Itaque simul conparant delenimenta et differunt vos in adventum Cn. Pompei; quem ipsum, ubi pertimuere, sublatum in cervices suas, mox dempto metu lacerant. Neque eos pudet, vindices, uti se ferunt, libertatis, tot viros sine uno aut remittere iniuriam non audere aut ius non posse defendere. Mihi quidem satis spectatum est, Pompeium, tantae gloriae adulescentem, malle principem volentibus vobis esse quam illis dominationis socium, auctoremque inprimis fore tribuniciae potestatis.

Verum, Quirites, antea singuli cives in pluribus, non in uno cuncti praesidia habebatis, neque mortalium quisquam dare aut eripere talia unus poterat. Itaque verborum satis dictum est: neque enim ignorantia res claudit; verum occupavit nescio qua vos torpedo, qua non gloria movemini neque flagitio, cunctaque praesenti ignavia mutavistis, abunde libertatem rati, quia tergis

---

1. *modis* V. — 4. *absolvi* V. — 5. *et ignaviam quoiusque tenuissuma spe frustratur*] On. *et ignam quiusque tenuissimas per frustratur* (omnia sic) V. (sic in Ep. Mithr. 7. Cod. Vatic. *misceris perem.*) *et ignaros quisque tenuissuma spe frustratur* G. — *qua*] Faernus, *quae* V. G. — 9. *Kavendus* Arusianus Lind. p. 243. *Cavendus tamen dolus est* Veneta 1500. et multae aliae Edd.

abstinetur et huc ire licet atque illuc, munera ditium dominorum, atque haec eadem non sunt agrestibus, sed caeduntur inter potentium inimicitias, donoque dantur in provincias magistratibus. Ita pugnatur et vincitur paucis: plebes, quodcunque accidit, pro victis est et in dies magis erit, siquidem maiore cura dominationem illi retinuerint, quam vos repetiveritis libertatem.

---

1. *atque]* V. *et* G. — 6. *siquidem*] V. *si quidem* G.

EPISTOLA

MITHRIDATIS.

Rex Mithridates regi Arsaci S.

Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere; dein, quod quaesitur, satisne pium tutum gloriosum, an indecorum sit. Tibi si perpetua pace frui licet, nisi hostes opportuni et scelestissumi, egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est, neque petere audeam societatem et frustra mala mea cum bonis tuis misceri sperem. Atque ea, quae te morari posse videntur, ira in Tigranem recentis belli et meae res parum prosperae, si vera existumare voles, maxume hortabuntur. Ille enim obnoxius qualem tu voles societatem accipiet; mihi fortuna, multis rebus ereptis, usum dabit bene suadendi; et, quod florentibus optabile est, ego non validissumus praebeo exemplum, quo rectius tua conponas. Namque Romanis cum nationibus populis regibus cunctis una et ea vetus caussa bellandi est cupido profunda imperi et divitiarum. Qua primo cum rege

1. *societate morantur* V. — (3. *quaesitur]* V. G. *quaeritur* Cortius.) — 7. *bonis tuis*] V. *tuis bonis* G. — *misceris perem* V. — 9. *rarum prospere* V. — 11. *accepiet* V.

Macedonum Philippo bellum sumpsere; dum a Karthaginiensibus premebantur, amicitiam simulantes ei subvenientem Antiochum concessione Asiae per dolum avortere; ac mox fracto Philippo Antiochus omni cis Taurum agro et decem milibus talentorum spoliatus est. Persen deinde, Philippi filium, post multa et varia certamina apud Samothracas deos acceptum in fidem callidi et repertores perfidiae, quia pacto vitam dederant, insomniis occidere. Eumenem, quoius amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem; post, habitum custodiae agri captivi, sumptibus et contumeliis ex rege miserrumum servorum effecere, simulatoque inpio testamento, filium eius Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more per triumphum duxere; Asia ab ipsis obsessa est; postremo Bithyniam, Nicomede mortuo, diripuere, quom filius Nysa, quam reginam appellaverat, genitus haud dubie esset. Nam quid ego me adpellem? quem diiunctum undique regnis et tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem neque serviturum esse, per Nicomedem bello lacessiverunt, sceleris eorum haud ignarum et ea, quae accidere, testatum antea Cretensis, solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptolemaeum. Atque ego ultus iniurias Nicomedem Bithynia expuli Asiamque spolium regis Antiochi recepi et Graeciae dempsi grave servitium. Incepta mea postremus servorum Archelaus exercitu prodito inpedivit: illique, quos ignavia aut prava calliditas, ut meis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissumas poenas solvunt, Ptolemaeus pretio in dies bellum prolatans, Cretenses inpugnati semel iam neque finem nisi excidio

9. *Eumenem*] *eum en* (sic) V. — 11. *capti vi* V. — 12. *efficere* V. — 25. *graeciaedem si graveser vitium* V. — 28. *ut*] V. *uti* G.

habituri. Equidem quom mihi ob ipsorum interna mala dilata proelia magis quam pacem datam intellegerem, abnuente Tigrane, qui mea dicta sero probat, te remoto procul, omnibus aliis obnoxiis, rursus tamen bellum coepi Marcumque Cottam, Romanum ducem, apud Chalcedona terra fudi, mari exui classe pulcherruma. Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidio moranti frumentum defuit, nullo circum adnitente; simul hiems mari prohibebat. Ita, sine vi hostium regredi conatus in patrium regnum, naufragiis apud Parium et Heracleam militum optumos cum classibus amisi. Restituto deinde apud Caberam exercitu et variis inter me atque Lucullum proeliis, inopia rursus ambos incessit. Illi suberat regnum Ariobarzanis bello intactum: ego, vastis circum omnibus locis, in Armeniam concessi: secutique Romani non me, sed morem suum omnia regna subvortundi, quia multitudinem artis locis pugna prohibuere, inprudentiam Tigranis pro victoria ostentant.

Nunc quaeso considera, nobis oppressis utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? Scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum et auri esse; et ea re a nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris. Ceterum consilium est Tigranis, regno integro, meis militibus procul ab domo, parvo labore per nostra corpora bellum conficere, quo neque vincere neque vinci sine tuo periculo possumus. An ignoras Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convortisse? neque quicquam a principio nisi raptum habere, domum

10. *apud patrium* V. — 23. *consilium est, Tigranis regno integro* G. — 25. *quoneq.* cum lineola, id est, *quom neque* V. — 29. *raptum) partum* V.

coniuges, agros imperium? convenas olim sine patria, parentibus, peste conditos orbis terrarum: quibus non humana ulla neque divina obstant, quin socios amicos, procul iuxta sitos, inopes potentisque trahant exscindant, omniaque non serva et maxume regna hostilia ducant. Namque pauci libertatem, pars magna iustos dominos volunt: nos suspecti sumus aemuli et in tempore vindices adfuturi. Tu vero, cui Seleucea, maxuma urbium, regnumque Persidis inclutis divitiis est, quid ab illis nisi dolum in praesens et postea bellum exspectas? Romani arma in omnis habent, acerruma in eos, quibus victis spolia maxuma sunt; audendo et fallendo et bella ex bellis serendo magni facti. Per hunc morem exstinguent omnia aut occident: quod haud difficile est, si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitum sine frumento, sine auxiliis, fortuna aut nostris vitiis adhuc incolumem. Teque illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus latrones gentium obpressisse. Quod uti facias moneo hortorque; neu malis pernicie nostra tuam prolatare quam societate victor fieri.

2. *parentibus*] V. *sine parentibus* G. — *pesti* Douza. — 14. *situ Mesopotamianos* V.

PSEUDOSALUSTI

EPISTOLAE

AD

CAESAREM SENEM

DE RE PUBLICA.

I.

Pro vero antea obtinebat regna atque imperia fortunam dono dare, item alia, quae per mortaleis avide cupiuntur: quia et apud indignos saepe erant quasi per lubidinem data: neque cuiquam incorrupta permanserant. Sed res docuit id verum esse, quod in carminibus Appius ait, fabrum esse suae quemque fortunae, atque in te maxume, qui tantum alios praegressus es, ut prius defessi sint homines laudando facta tua, quam tu laude digna faciundo. Ceterum ut fabricata, sic virtute parta, quam magna industria haberei decet; ne incuria *deformentur*, aut conruant infirmata. Nemo enim alteri imperium volens concedit: et quamvis bonus atque clemens sit, qui plus potest, tamen, quia malo esse licet, formeidatur. Id eo evenit, quia plerique rerum potentes pervorse consulunt: et eo se munitiores putant, quo illei, quibus imperitant, nequiores fuere. At contra id eniti decet: quom ipse bonus atque strenuus sis, uti quam optumis imperites. Nam pessumus quisque asperrume rectorem patitur. Sed tibi hoc gravius est, quam ante te omnibus, armis parta componere, quod bellum aliorum pace mollius gessisti;

---

1. *fortuna* V. — 2. *mortaleis*] V. *mortalis* G. — 8. *ut*] V. *uti* G. — 9. *ut*] V. *uti* G. — 10. *haberei*] V. *haberi* G. — 11. V. *deformentur*, suppletum, uti videtur, a Pomponio Laeto, non est in Cod. Vaticano — 14. *formeidatur*] V. *formidatur* G. — *Id eo evenit*] Or. *Ideo evenit* V. *Id evenit* G. — 16. *illei*] V. *illi* G.

ad hoc victores praedam petunt, victi cives sunt. Inter has difficultates evadendum est tibi; atque in posterum firmanda res publica non armis modo neque advorsum hostis, sed, quod multo multoque asperius est, pacis bonis artibus. Ergo omnes magna mediocri sapientia res huc vocat, quae quisque optuma potest, utei dicant. Ac mihi sic videtur: qualeicumque modo tu victoriam composuereis, ita alia omnia futura.

Sed iam, quo melius faciliusque constituas, paucis, quae me animus monet, accipe. Bellum tibi fuit, Imperator, cum homine claro, magnis opibus, avido potentiae, maiore fortuna quam sapientia, quem secuti sunt per suam iniuriam tibi inimici, item quos adfinitas aut alia necessitudo traxit. Nam particeps dominationis neque fuit quisquam, neque, si pati potuisset, orbis terrarum bello concussus foret. Cetera multitudo volgi more magis quam iudicio, post alius alium quasi prudentiorem secuti. Per idem tempus maledictis ineiquorum occupandae rei publicae in spem adducti homines, quibus omnia probro ac luxuria polluta erant, concurrere in castra tua: et aperte quieteis mortem, rapinas, postremo omnia, quae conrupto animo lubebat, minitari. Ex queis magna pars, ubi neque creditum condonare, neque te civibus sicuti hostibus uti vident, defluxere; pauci restitere; quibus maius otium in castris quam Romae futurum erat; tanta vis creditorum inpendebat. Sed ob easdem causas inmane dictust, quanti

4. *multo multoque*] V. *multo maius multoque* ex supplemento G. — *pacis bonis*] V. *bonis pacis* G. — 5. *mediocri*] G. *mediocris* V. — 6. *utei*] V. *uti* G. — 7. *qualeicumque*] V. *qualicumque* G. — 8. *composuereis*] V. *composueris* G. — 13. *sunt per*] V. *sunt pauci per* ex supplemento G. — 18. *ineiquorum*] V. *iniquorum* G. — 21. *quieteis*] V. *quietis* G. — 23. *queis*] V. *quis* G. — 27. *dictust*] V. *dictu est* G.

et quam multi mortales postea ad Pompeium discesserint: eoque per omne tempus belli quasi sacro atque inspoliato fano debitores usi.

Igitur quoniam tibi victori de bello atque pace agitandum est, hoc uti civiliter deponas, illa quam iustissuma et diuturna sit: de te ipso primum, qui ea compositurus es, quid optumum factu sit, existuma. Equidem ego cuncta imperia crudelia magis acerba quam diuturna arbitror; neque quemquam multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat: eam vitam bellum aeternum et anceps gerere: quoniam neque advorsus neque ab tergo aut lateribus tutus sis, semper in periculo aut metu agites. Contra qui benignitate et clementia imperium temperavere, iis laeta et candida omnia visa, etiam hostes aequiores, quam aliis cives. Haud scio, an qui me his dictis corruptorem victoriae tuae nimisque in victos bona voluntate praedicent. Scilicet quod ea, quae externis nationibus, naturâ nobis hostibus, nosque maioresque nostri saepe tribuere, ea civibus danda arbitror, neque barbaro ritu caede caedem et sanguinem sanguine expianda. An illa, quae paullo ante hoc bellum in Cn. Pompeium victoriamque Sullanam increpabantur, oblivio intercepit? Domitium, Carbonem, Brutum, alios item non armatos, neque in proelio belli iure, sed postea supplices per summum scelus interfectos, plebem Romanam in villa publica pecoris modo conscissam. Eheu quam illa occulta civium fu-

5. *illa quam*] V. *illa ut quam* ex supplemento G. — 7. *quid - - sit*] V. *quod - - est* G. — 10. *reecidat* V. — 14. *iis*] V. *his* G. — 15. *hostes nequiores quam alii cives* V. — 16. *Haud scio an qui*] V. G. *An qui* Cortius. — 18. *nationibus natura,* [*nobis*] *hostibus* G. — 20. *barbaro*] V. *barbarico* G. — 23. *intercepit*] Popma. G. *interfecit* V. — 27. *Eheu*] V. *Heu* G.

nera et repentinae caedes, in parentum aut liberorum sinum fuga mulierum et puerorum, vastatio domuum ante partam a te victoriam saeva atque crudelia erant! Ad quae te idem illi hortantur: et scilicet id certatum esse, utrius vestrum arbitrio iniuriae fierent: neque receptam, sed captam a te rem publicam et ea causa exercitus stipendiis confectis optumos et veterrumos omnium advorsum fratres parentisque, alii liberos armis contendere; ut ex alienis malis deterrumi mortales ventri atque profundae lubidini sumptus quaererent, atque essent obprobria victoriae, quorum flagitiis commacularetur bonorum laus. Neque enim te praeterire puto, quali quisque eorum more aut modestia etiamtum dubia victoria sese gesserit; quoque modo in belli administratione scorta aut convivia exercuerint nonnulli; quorum aetas ne per otium quidem talis voluptatis sine dedecore attigerit.

De bello satis dictum. De pace firmanda quoniam tuque et omnes tui agitatis, primum id, quaeso, considera, quale sit, de quo consultas: ita, bonis malisque dimotis, patenti via ad verum perges. Ego sic existumo: quoniam orta omnia intereunt, qua tempestate urbi Romanae fatum excidi adventarit, civis cum civibus manus conserturos; ita defessos et exsanguis regi aut nationi praedae futuros. Aliter non orbis terrarum neque cunctae gentes conglobatae movere aut contundere queunt hoc imperium. Firmanda igitur sunt vel concordiae bona et discordiae mala expellenda. Id ita

---

3. *victoriam*] V. G. *victoriam omnia* ex suppl. Volgo. — 4. *idem illi*] V. *illi iidem* G. — 13. *qualisquisque* V. a pr. m. — 14. *gesserit*] V. G. *gesserint* Volgo. — 17. *attingerit* V. — 20. *quale sit*] Om. *qualis sit* V. *quale id sit* G. — 27. *vel*] V. *et* G.

eveniet, si sumptuum et rapinarum licentiam dempseris; non ad vetera instituta revocans, quae iam pridem, conruptis moribus, ludibrio sunt; sed si suam quoique rem familiarem finem sumptuum statueris: quoniam is incessit mos, ut homines adulescentuli sua atque aliena consumere, nihil lubidini atque aliis rogantibus denegare pulcherrumum putent: eam virtutem et magnitudinem animi, pudorem atque modestiam pro socordia aestumant. Ergo animus ferox prava via ingressus, ubi consueta non suppetunt, fertur accensus in socios modo, modo in civis: movet composita et res novas veteribus adquirit. Quare tollendus est fenerator in posterum, uti suas quisque res curemus. Ea vera atque simplex via est, magistratum populo, non creditori, gerere; et magnitudinem animi in addendo, non demendo rei publicae ostendere.

Atque ego scio, quam aspera haec res in principio futura sit, praesertim is, qui se in victoria licentius liberiusque quam artius futuros credebant. Quorum si saluti potius quam lubidini consules, illosque nosque et socios in pace firma constitues: sin eadem studia, artesque iuventuti erunt, nae ista egregia tua fama simul cum urbe Roma brevi concidet. Postremo sapientes pacis causa bellum gerunt, laborem spe otii sustentant. Nisi illam firmam efficis, vinci an vicisse quid rettulit? Quare capesse, per deos, rem publicam et omnia aspera, uti soles, pervade. Namque aut tu mederi potes, aut omittenda est cura omnibus. Neque quisquam te ad crudelis poenas aut acerba iudicia in-

---

3. *quoique*] V. *cuique* G. — 9. *consuexata* (sic) V. a pr. m. — 11. *veteribus adquirit*] G. *veteribus acc conquirit* (sic) V. — 12. *tollendus est*] V. om. *est* G. — 18. *is*] V. *iis* G. — 22. *ne* V.

vocat, quibus civitas vastatur magis quam corrigitur; sed ut pravas artis malasque lubidines ab iuventute prohibeas. Ea vera clementia erit, consuluisse, ne merito cives patria expellerentur, retinuisse ab stultitia et falsis voluptatibus, pacem, concordiam stabilivisse: non, si, flagitiis obsecutus, delicta perpessus, praesens gaudium cum mox futuro malo concesseris.

Ac mihi animus, quibus rebus alii timent, maxume fretus est negoti magnitudine et quia tibi terrae et maria simul omnia componenda sunt. Quippe res parvas tantum ingenium attingere nequiret: magnae curae magna merces est. Igitur provideas oportet, uti plebs largitionibus et publico frumento conrupta, habeat negotia sua, quibus ab malo publico detineatur: iuventus probitati et industriae, non sumptibus neque divitiis studeat. Id ita eveniet, si pecuniae, quae maxuma omnium pernicies est, usum atque decus dempseris. Nam saepe ego cum animo meo reputans, quibus quisque rebus clari viri magnitudinem invenissent, quaeque res populos nationesve magnis auctibus auxissent, ac deinde quibus causis amplissuma regna et imperia conruissent; eadem semper bona atque mala reperiebam, omnisque victores divitias contempsisse, et victos cupivisse. Neque aliter quisquam extollere sese et divina mortalis attingere potest, nisi, omissis pecuniae et corporis gaudiis, animo indulgens, non adsentando neque concupita praebendo, pervorsam gratiam gratificans, sed in labore, patientia bonisque praeceptis et factis fortibus exercitando.

---

2. *ut*] V. *uti* G. — 3. *merito*] V. *immerito* Britannicus. G. — 6. *flagitiisopsecutus* V. — 7. *cum*] *quom* V. — 10. *pravas* V. — 11. *nequiret*] G. *Neq. iret* V. *nequit* Volgo. — 12. *plebs*] *pleps* V. *plebes* G. — 18. *quom* V. — 20. *auctibus*] Ciacconius. *auctoribus* V. *auctionibus* G.

Nam domum aut villam exstruere, eam signis, aulaeis, alieisque operibus exornare et omnia potius quam semet visundum efficere, id est non divitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse. Porro ei, quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere mos est, ubi animum, quem dominari decebat, servitio oppressere, nequeiquam eo postea hebeti atque claudo pro exercito uti volunt. Nam inprudentia pleraque et se praecipitat. Verum haec et omnia mala pariter cum honore pecuniae desinent, si neque magistratus neque alia volgo cupiunda venalia erunt. Ad hoc providendum est tibi, quonam modo Italia atque provinciae tutiores sint: id quod factu haut obscurum est. Nam idem omnia vastant, suas deserundo domos et per iniuriam alienas occupando. Item ne, uti adhuc, militia iniusta aut inaequalis sit, quom alii triginta, pars nullum stipendium facient. Et frumentum id, quod antea praemium ignaviae fuit, per municipia et colonias illis dare conveniet, qui stipendiis emeritis domos reverterint.

Quae rei publicae necessaria tibique gloriosa ratus sum, quam paucissumis absolvi. Non peius videtur pauca nunc de facto meo disserere. Plerique mortales ad iudicandum satis ingeni habent aut simulant: verum enim ad reprehendunda aliena facta aut dicta ardet omnibus animus; vix satis apertum os aut lingua prompta videtur, quae meditata pectore evolvat: quibus me subiectum haud poenitet, magis reticuisse pigeret. Nam sive hac seu meliore alia via

1. *eam*] V. *eamque* G. — 2. *alieisque*] V. *aliisque* G. — 4. *ei*] *eis* V. *ii* G. — 7. *nequeiquam*] V. *nequidquam* Burnouf. *nequaquam* G. — 9. *praecipitat*] V. *praecipitant* G. — 15. *uti*] V. *ut* G. — 17. *facient*] V. *faciet* G. — 21. *apsolvi* V. — 27. *quaemedita pectore evolat* V.

perges, a me quidem pro virili parte dictum et adiutum fuerit. Relicuum est optare, uti, quae tibi placuerint, ea di immortales adprobent beneque evenire sinant.

II.

Scio ego, quam difficile atque asperum factu sit consilium dare regi aut imperatori, postremo quoiquam mortali, quoius opes in excelso sunt: quippe quom et illis consultorum copiae adsint, neque de futuro quisquam satis callidus satisque prudens sit. Quin etiam saepe prava magis quam bona consilia prospere eveniunt: quia plerasque res fortuna ex lubidine sua agitat. Sed mihi studium fuit adulescentulo rem publicam capessere, atque in ea cognoscenda multam magnamque curam habui: non ita, ut magistratum modo caperem, quem multi malis artibus adepti erant, sed etiam, ut rem publicam domi militiaeque, quantumque armis, viris, opulentia posset, cognitum habuerim. Itaque mihi multa cum animo agitanti consilium fuit famam modestiamque meam post tuam dignitatem haberei et quoius rei lubet periculum facere, dum quid tibi ex eo gloriae accederet. Idque non temere neque ex fortuna tua decrevi, sed quia in te praeter ceteras artem unam egregie mirabilem comperi, semper tibi maiorem in advorsis quam in secundis rebus animum esse. Sed per ceteros mortalis illa res clarior est, quod prius defessi sunt homines laudando atque admirando muni-

6. Habet *quoiquam* et *quoius* V. — 14. et 16. *ut*] V. *uti* G. — 17. *cognitum*] V. *cognitam* G. — 19. *haberei*] V. *habere* G. — 21. *accederet*] Aldus. *acciderit* V. G. — *neque*] V. *aut* G. — 26. *sunt*] V. *sint* G.

ficentiam tuam, quam tu in faciundo, quae gloria digna essent. Equidem mihi decretum est, nihil tam ex alto repeti posse, quod non cogitanti tibi in promptu sit. Neque eo, quae visa sunt, de re publica tibi scripsi, quia mihi consilium atque ingenium meum amplius aequo probaretur; sed inter labores militiae interque proelia, victorias, imperium statui admonendum te de negotiis urbanis. Namque tibi si id modo in pectore consili est, ut te ab inimicorum impetu vindices, quoque modo contra advorsum consulem beneficia populi retineas, indigna virtute tua cogitas. Sin in te ille animus est, qui iam a principio nobilitatis factionem disturbavit, plebem Romanam ex gravi servitute in libertatem restituit, in praetura inimicorum arma inermis disiecit, domi militiaeque tanta et tam praeclara facinora fecit, ut ne inimici quidem queri quidquam audeant nisi de magnitudine tua: quin tu accipe ea, quae dicam de summa re publica. Quae profecto aut vera invenies aut certe haud procul a vero.

Sed quoniam Gn. Pompeius aut animi pravitate aut quia nihil eo maluit, quod tibi obesset, ita lapsus est, ut hostibus tela in manus iaceret, quibus ille rebus rem publicam conturbavit, eisdem tibi restituendum est. Primum omnium summam potestatem moderandi de vectigalibus sumptibus iudiciis senatoribus paucis tradidit; plebem Romanam, quoius antea summa potestas erat, ne aequeis quidem legibus in servitute re-

---

1. *n faciundo*] V. *faciendo* (om. *in*) G. — 3. *repeti*] Ciacconius et Bongarsius. *reperiri* V. G. — 4. *eo*] V. a pr. m. *ego* V. a sec. m. admodum recenti. G. — 9. *ut*] V. *uti* G. — 11. *cogitas*] V. *cogites* G. (*coeptas* Vaticano alicui tribuitur in Bongarsii exemplo.) — 12. *disturbabit* V. — 16. *ut*] V. *uti* G. — *queri*] V. *fari* Cortius. G. — 27. *ne aequeis* (sic)] V. *nosque his* G.

liquit. Iudicia tametsi, sicut antea, tribus ordinibus tradita sunt, tamen idem illi factiosi regunt, dant, adimunt, quae lubet; innocentis circumveniunt; suos ad honorem extollunt. Non facinus, non probrum aut flagitium obstat, quo minus magistratus capiant; quos commodum est, trahunt, rapiunt; postremo tamquam urbe capta, lubidine ac licentia sua pro legibus utuntur. Ac me quidem mediocris dolor angeret, si virtute partam victoriam more suo per servitium exercerent. Sed homines inertissumi, quorum omnis vis virtusque in lingua sita est, forte atque alterius socordia dominationem oblatam insolentes agitant. Nam, quae seditio aut dissensio civilis tot tam inlustris familias ab stirpe evertit? aut quorum unquam in victoria animus tam praeceps tamque inmoderatus fuit?

L. Sulla, quoi omnia in victoria lege belli licuerunt, tametsi supplicio hostium partis suas muniri intellegebat, tamen, paucis interfectis, ceteros beneficio quam metu retinere maluit. At hercule M. Catoni, L. Domitio ceterisque eiusdem factionis quadraginta senatores, multi praeterea cum spe bona adulescentes sicutei hostiae mactati sunt; quom interea inportunissuma genera hominum tot miserorum civium sanguine satiari nequierunt: non orbi liberi, non parentes exacta aetate, non luctus gemitus virorum mulierum inmanem eorum animum inflexit, quein acerbius in dies male fa-

---

2. *idem*] V. *iidem* G. — 8. *luget* V. — 13. *aut*] V. *ac* G. — *tot tam inlustris*] V. *tot unquam illustris* G. — 14. *in victoria*] V. om. *in* G. — 19. *At hercule M. Catoni*] Or. *Atherculem. catonem* V. *At hercule nunc cum Catone* Aldus. G. — 22. *sicutei*] V. *sicuti* G. — 24. *nequierunt*] *nequier.* cum lineola V. *nequivere* G. — 25. *luctus gemitus virorum mulierum*] V. *gemitus virorum, luctus mulierum* G. — 26. *quein*] V. (superscr. *quiis.*) *quin* G.

ciundo ac dicundo dignitate alios, alios civitate eversum irent. Nam, quid ego de te dicam? quoius contumeliam homines ignavissumi vita sua commutare volunt, si liceat. Neque illis tantae voluptati est (tametsi insperantibus accidit) dominatio, quanto maerori tua dignitas: quein optatius habent ex tua calamitate periculum libertatis facere, quam per te populi Romani imperium maxumum ex magno fieri. Quo magis tibi etiam atque etiam animo prospiciundum est, quonam modo rem stabilias communiasque. Mihi quidem quae mens suppetit, eloqui non dubitabo. Ceterum tuei erit ingenii probare, quae vera atque utilia factu putes.

In duas partis ego civitatem divisam arbitror, sicut a maioribus accepi, in patres et plebem. Antea in patribus summa auctoritas erat, vis multo maxuma in plebe. Itaque saepius in civitate secessio fuit; semperque nobilitatis opes deminutae sunt et ius populi amplificatum. Sed plebes eo libere agitabat, quia nullius potentia super leges erat; neque divitiis aut superbia, sed bona fama factisque fortibus nobilis ignobilem anteibat: humillumus quisque in arvis aut in militia nullius honestae rei egens satis sibi satisque patriae erat. Sed ubi eos paullatim expulsos agris inertia atque inopia incertas domos habere subegit, coepere alienas opes petere, libertatem suam cum re publica venalem habere. Ita paullatim populus, qui dominus erat, cunctis gentibus imperitabat, dilapsus est, et pro

---

3 *volunt si liceat. Neque*] V. *nolunt si liceat neque* Vatic. tertius. *volunt? scilicet neque* Veneta anni MD. G. — 6. *quein*] V. (superscr. *quiis.*) *quin* G. — 11. *tuei*] V. *tui* G. — 21. *arvis*] Douza. *armis* V. *agris* Popma. G. — *aut in militia*] V. *aut militia* G. — 26. *dominus erat, cunctis*] V. *dominus cunctis* Libri Fabri et Briconeti. G. *dominus erat et cunctis* Volgo.

communi imperio privatim sibi quisque servitutem peperit. Haec igitur multitudo primum malis moribus inbuta, deinde in artis vitasque varias dispalata, nullo modo inter se congruens, parum mihi quidem idonea videtur ad capessendam rem publicam. Ceterum, additis novis civibus, magna me spes tenet fore, ut omnes expergiscantur ad libertatem; quippe cum illis libertatis retinendae, tum his servitutis amittundae cura orietur. Hos ego censeo permixtos cum veteribus novos in coloniis constituas: ita et res militaris opulentior erit et plebs bonis negotiis inpedita malum publicum facere desinet.

Sed non inscius neque inprudens sum, quom ea res agetur, quae saevitia quaeque tempestates hominum nobilium futurae sint, quom indignabuntur, omnia funditus misceri, antiquis civibus hanc servitutem inponi, regnum denique ex libera civitate futurum, ubi unius munere multitudo ingens in civitatem pervenerit. Equidem ego sic apud animum meum statuo: malum facinus in se admittere, qui incommodo rei publicae gratiam sibi conciliet; ubi bonum publicum etiam privatim usui est, id vero dubitare adgredi, socordiae atque ignaviae duco. M. Druso semper consilium fuit in tribunatu summa ope niti pro nobilitate; neque ullam rem in principio agere intendit, nisi illi auctores fuerant. Sed homines factiosi, quibus dolus atque malitia fide cariora erant, ubi intellexerunt per unum hominem maxumum beneficium multis mortalibus dari, videlicet

3. *in artis]* *anartis* V., sed in margine ab eadem manu *in artes* (sic.) — 11. *plebs]* V. *plebes* G. — 22. *atque: duco* V. in margine *ignaviae*. — 23. *M. Druso]* V. *M. Livio Druso* ex Pomponii Laeti supplemento G. et ceterae Edd. — 25. *fuerant]* V. *fierent* probabiliter Vatic. tertius. G. — 28. *videlicet sibi]* V. *videlicet et sibi* G.

sibi quisque conscius malo atque infido animo esse de M. Druso iuxta ac de se existumaverunt. Itaque metu, ne per tantam gratiam solus rerum poteretur, contra eam nisi, sua et ipseius consilia disturbaverunt. Quo tibi, Imperator, maiore cura fideique amici et multa praesidia paranda sunt.

Hostem advorsum deprimere strenuo homini haud difficilest: occulta pericula neque facere neque vitare bonis in promptu est. Igitur, ubi eos in civitatem adduxeris, quoniam quidem renovata plebs erit, in ea re maxume animum exerceto, ut colantur boni mores, concordia inter veteres et novos coalescat. Sed multo maxumum bonum patriae civibus, tibi liberis, postremo humanae genti pepereris, si studium pecuniae aut sustuleris aut quoad res [re]feret, minueris. Aliter neque privata res neque publica neque domi neque militiae regi potest. Nam ubi cupido divitiarum invasit, neque disciplina neque artes bonae neque ingenium ullum satis pollet, quin animus magis aut minus mature, postremo tamen succumbat. Saepe iam audivi, qui reges, quae civitates et nationes per opulentiam magna imperia amiserint, quae per virtutem inopes ceperant: id adeo haud mirandum est. Nam ubi bonus deteriorem divitiis magis clarum magisque acceptum videt, primo aestuat multaque in pectore volvit: sed ubi gloria honorem magis in dies, virtutem opulentia

---

2. *M. Druso]* V. *M. Livio Druso* G. — *ac de se]* G. om. *de* V. — 3. *poteretur]* V. *potiretur* G. — 4. *eam]* V. *eum* G. — *ipseius]* V. *ipsius* G. — 5. *fideique]* V. *fideque* G. — 7. *deprimere]* V. *opprimere* G. — 8. *difficilest]* V. *difficile est* G. — 10. *renovata plebs]* V. *revocata plebes* G. cfr. mox p. 198 v. 8 — 11. *exerceto, ut]* V. (non *exercito*, ut ait G.) *exercitato, uti* G. — 15. *referet* V. (ex geminatione, ut videtur.) *feret* G. — 20. *succumbat]* V. *succumbit* G. — 23. *id adeo]* Iuntina tertia. G. *id eo* V.

vincit, animus ad voluptatem a vero deficit. Quippe gloria industria alitur; ubi eam dempseris, ipsa per se virtus amara atque aspera est. Postremo ubi divitiae clarae habentur, ibi omnia bona vilia sunt, fides probitas, pudor pudicitia. Nam ad virtutem una et ardua via est: ad pecuniam, qua cuique lubet, nititur; et malis et bonis rebus ea creatur. Ergo in primis auctoritatem pecuniae demito: neque de capite neque de honore ex copiis quisquam magis aut minus iudicaverit, sicut neque praetor neque consul ex opulentia, verum ex dignitate creetur. Sed de magistratu facile populi iudicium fit: iudices a paucis probari regnum est; ex pecunia legi, inhonestum. Quare omnis primae classis iudicare placet, sed numero plures, quam iudicant. Neque Rhodios neque alias civitates unquam iudiciorum suorum poenituit, ubi promiscue dives et pauper, ut quoique sors tulit, de maxumis rebus iuxta ac de minumis disceptat.

Sed magistratibus creandis haud mihi quidem absurde placet lex, quam C. Gracchus in tribunatu promulgaverat, ut ex confusis quinque classibus sorte centuriae vocarentur. Ita coaequatur dignitate pecunia; virtute anteire alius alium properabit. Haec ego magna remedia contra divitias statuo. Nam perinde omnes res laudantur atque adpetuntur, ut earum rerum usus est: malitia praemiis exercetur; ubi ea dempseris, nemo omnium gratuito malus est. Ceterum avaritia

9. *sicut*] V. *sic ut* G. — 11. *fit*] V. *sit* G. — 15. *iudiciorum suorum*] V. *suorum iudiciorum* G. — 16. *fors* V. — 18. *Sed magistratibus*] V. (Dictum est, ut *lex parieti faciundo.*) *Sed de magistratibus* G. — *apsurde* V. — 20. *sorte*] V. *sorti* G. — 21. *coaequatur*] Vatic. secundus. *coaequantur* V., (unde fortasse legendum: *pecuniae.*) *coaequati* G. — 23. *antire* V.

belua fera, inmanis, intoleranda est; quo intendit, oppida agros, fana atque domos vastat; divina cum humanis permiscet; neque exercitus neque moenia obstant, quo minus vi sua penetret; fama pudicitia, liberis, patria atque parentibus cunctos mortalis spoliat. Verum, si pecuniae decus ademeris, magna illa vis avaritiae facile bonis moribus vincetur. Atque haec ita sese habere tametsi omnes aequi atque iniqui memorant, tamen tibi cum factione nobilitatis haud mediocriter certandum est; quoius si dolum caveris, alia omnia in proclivi erunt. Nam ii, si virtute satis valerent, magis aemuli bonorum quam invidi essent. Quia desidia et inertia, stupor eos atque torpedo invasit, strepunt, obtrectant, alienam famam bonam suum dedecus aestumant.

Sed, quid ego plura quasi de ignotis memorem? M. Bibuli fortitudo atque animi vis in consulatum erupit; hebes lingua, magis malus quam callidus ingenio. Quid ille audeat, quoi consulatus, maxumum imperium, maxume dedecori fuit? An L. Domiti magna vis est, quoius nullum membrum a flagitio aut facinore vacat? lingua vana, manus cruentae, pedes fugaces; quae honeste nominari nequeunt, inhonestissuma. Unius tamen M. Catonis ingenium versutum, loquax, callidum haud contemno. Parantur haec disciplina Graecorum. Sed virtus, vigilantia, labos apud Graecos nulla sunt. Quippe qui domi libertatem suam per inertiam amiserint, cen-

1. *quo*] G. *quod* V., sed littera *d* puncto notata. — *intendit*] in V. litterae *t* superscr. *c*. — 8. *memorant*] V. *memorent* G. — 9. *haud*] *aut* i. e. *haut* V. — 11. *ii*] V. *hi* G. — 13. *stupor*] V. *et stupor* G. — 18. *quod* superscr. *i* V. — 19. *quoi*] *qui* V. *cui* G. — 20. *Domiti*] V. *Domitii* G. — 23. *nequeunt*] V. *nequeant* G. — 26. *labor* V. — *Quippe qui*] V. G. *Quippe cum* Volgo.

sesne eorum praeceptis imperium haberi posse? Reliqui de factione sunt inertissumi nobiles: in quibus sicut instituto, praeter bonum nomen nihil est. Additamenta L. Postumi, M. Favoni, mihi videntur quasi magnae navis supervacanea onera esse; ubi salvi pervenere, usui sunt; si quid advorsi coortum est, de illeis potissumum iactura fit, quia preti minumi sunt.

Nunc quoniam, sicut mihi videor, de plebe renovanda corrigendaque satis disserui, de senatu quae tibi agenda videntur, dicam. Postquam mihi aetas ingeniumque adolevit, haud ferme armis atque equis corpus exercui, sed animum in litteris agitavi; quod natura firmius erat, id in laboribus habui. Atque ego in ea vita multa legendo atque audiundo ita comperi, omnia regna, item civitates et nationes usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: ubicunque gratia, timor, voluptas ea corrupere, post paullo inminutae opes, deinde ademptum imperium, postremo servitus inposita est. Equidem ego sic apud animum meum statuo: quoicunque in sua civitate amplior inlustriorque locus quam aliis est, ei magnam curam esse rei publicae. Nam ceteris salva urbe tantummodo libertas tuta est: qui per virtutem sibi divitias, decus, honorem pepererunt, ubi paullum inclinata res publica agitari coepit, multipliciter animus curis

---

2. *sicut instituto*] V. (ὥσπερ ἰδίῳ ἐπιτηδεύματι.) *sicuti statuo* Marcilius. *sicut in statua* Lipsius. G. — 3. *bonum nomen*] V. om. *bonum* G. — *nihil est. Additamenta L. Postumi, M. Favoni*] On. *nihil est additamenti L. Postumii, M. Favonii* V. *nihil est additamenti. L. Postumius et M. Favonius* G. — 5. *supervacanea*] On. *super vacua nea* V. *supervacua* G. — 6. *illeis*] V. *illis* G. — 8. *Nunc quoniam, sicut*] V. *Quoniam nunc, uti* G. — 9. *satis*] V. om. G. — 15. *et nationes*] V. om. *et* G.

atque laboribus fatigatur; aut gloriam aut libertatem aut rem familiarem defensat; omnibus iocis adest, festinat; quanto in secundis rebus florentior fuit, tanto in advorsis asperius magisque anxie agitat. Igitur ubi plebs senatui sicuti corpus animo oboedit eiusque consulta exsequitur, patres consilio valere decet, populo supervacanea est calliditas. Itaque maiores nostri, quom belliis asperrumis premerentur, equis viris pecunia amissa, nunquam defessi sunt armati de imperio certare. Non inopia aerari, non vis hostium, non adversa res, ingentem eorum animum subegit, quin, quae virtute ceperant, simul cum anima retinerent. Atque ea magis fortibus consiliis quam bonis proeliis patrata sunt. Quippe apud illos una res publica erat; ei omnes consulebant; factio contra hostis parabatur; corpus atque ingenium patriae, non suae quisque potentiae exercitabat. At hoc tempore contra ea homines nobiles, quorum animos socordia atque ignavia invasit, ignarei laboris, hostium, militiae, domi factione instructi per superbiam cunctis gentibus moderantur. Itaque patres, quorum consilio antea dubia res publica stabiliebatur, oppressi ex aliena lubidine huc atque illuc fluctuantes agitantur: interdum alia, deinde alia decernunt; uti eorum, qui dominantur, simultas aut gratia fert, ita bonum malumque publicum aestumant. Quodsi aut libertas aequa omnium aut sententia obscurior esset, maioribus opibus res publica et minus potens nobilitas esset. Sed quoniam coaequari gratiam omnium difficile

---

5. *plebs*] V. *plebes* G. — *oboedit*] V. *obedit* G. — 6. *patris* V. — 7. *supervacuanea* V. — 11. *quin, quae*] G. *quique* V. — 17. *At*] G. *ad* V. — *ignarei*] V. *ignari* G. — 24. *aut gratia*] V. G. *ac arrogantia* Aldus. Burnouf. — *fert*] Vaticanus Bongarsii. G. *fertur* V. — 28. *gratia* V.

est; quippe quom illis maiorum virtus partam reliquerit gloriam dignitatem clientelas, cetera multitudo pleraque insiticia sit, sententias eorum a metu libera: ita in occulto sibi quisque alterius potentia carior erit. Libertas iuxta bonis et malis, strenuis atque ignavis optabilis est. Verum eam plerique metu deserunt; stultissumi mortales, quod in certamine dubium est, quorsum accidat, id per inertiam in se quasi victi recipiunt. Igitur duabus rebus confirmari posse senatum puto: si numero auctus per tabellam sententiam feret. Tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat: in multitudine et praesidi plus et usus amplior est. Nam fere his tempestatibus alii iudiciis publicis, alii privatis suis atque amicorum negotiis inplicati, haud sane rei publicae consiliis adfuerunt; neque eos magis occupatio quam superba imperia distinuere. Homines nobiles cum paucis senatoriis, quos additamenta factionis habent, quaecunque lubuit probare, reprehendere, decernere, ea, uti lubido tulit, fecere. Verum ubi numero senatorum aucto per tabellam sententiae dicentur, nae illi superbiam suam dimittent, ubi iis oboediundum erit, quibus antea crudelissume imperitabant.

Forsitan, Imperator, perlectis litteris, desideres, quem numerum senatorum fieri placeat, quoque modo is in multa et varia officia distribuatur; iudicia quoniam omnibus primae classis mittenda putem, quae discriptio, quei numerus in quoque genere futurus sit.

---

4. *ita in occulto]* V. *ita occulte* G. — 5. *atque ignavis]* V. *et ignavis* G. — 7. *dubium est]* V. om. *est* G. — 19. *fecere]* V. *facere* G. — 21. *ne* V. — *oboediundum]* V. *obediendum* G. — 25. *is in*] V. om. *is* G. — *distribuantur* V., sed littera *n* punctis notata. — *quoniam omnibus primae classis*] V. *quoniam primae classi* G. — 26. *mittenda*] V. *committenda* Lipsius. G. — *discriptio*] V. *descriptio* G. — 27. *quei*] V. *qui* G.

Ea mihi omnia generatim discribere haud difficile factu fuit; sed prius laborandum visum est de summa consili, idque tibi probandum verum esse. Si hoc itinere uti decreveris, cetera in promptu erunt. Volo ego consilium meum prudens maxumeque usui esse. Nam ubicunque tibi res prospere cedet, ibi mihi bona fama eveniet. Sed me illa magis cupido exercet, uti quocunque modo quam primum res publica adiutetur. Libertatem gloria cariorem habeo, atque ego te oro hortorque, ne clarissumus imperator, Gallica gente subacta, populi Romani summum atque invictum imperium tabescere vetustate ac per summam socordiam dilabi patiaris. Profecto, si id accidat, neque tibi nox neque dies curam animi sedaverit; quin insomniis exercitus, furibundus atque amens alienata mente feraris. Namque mihi pro vero constat omnium mortalium vitam divino numine invisier; neque bonum neque malum facinus quoiusquam pro nihilo haberi, sed ex natura divisa praemia bonos malosque sequi. Interea forte ea tardius procedunt: suus quoique animus ex conscientia spem praebet.

Quodsi tecum patria atque parentes possent loqui, scilicet haec tibi dicerent: O Caesar, nos te genuimus fortissumi viri, in optuma urbe, decus praesidiumque nobis, hostibus terrorem! Quae multis laboribus et periculis ceperamus, ea tibi nascenti cum anima simul tradidimus, patriam maxumam in terris, domum familiamque in patria clarissumam, praeterea bonas artis,

---

1. *discribere*] V. *describere* G. — *factum* V. — 8. *modo quam*] V. *modo et quam* G. — *adiutetur*] V. *adiuvetur* G. — 12. *socordiam*] V. G. *discordiam* Burnouf. — 17. *invisier*] V. G. *invisi* Burnouf. — 19. *divisa*] V. *divorsa* G.

honestas divitias, postremo omnia honestamenta pacis et praemia belli. Pro his amplissumis beneficiis non flagitium a te neque malum facinus petimus, sed utei libertatem evorsam restituas. Qua re patrata, profecto per gentis omnis fama virtutis tuae volitabit. Namque hac tempestate tametsi domi militiaeque praeclara facinora egisti, tamen gloria tua cum multis viris fortibus aequalis est: si vero urbem amplissumo nomine et maxumo imperio prope iam ab occasu restitueris, quis te clarior, quis maior in terris fuerit? Quippe si morbo iam aut fato huic imperio secus accidat, quoi dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, caedes oriantur? Quodsi tibi bona lubido fuerit patriae parentibus gratificandi, posteroque tempore, re publica restituta, super omnis mortalis gloria magna tuaque unius mors vita clarior erit. Nam vivos interdum fortuna, saepe invidia fatigat: ubi anima naturae cessit, demptis obtrectatoribus, ipsa se virtus magis magisque extollit. Quae mihi utilia factu visa sunt quaeque tibi usui fore credidi, quam paucissumis potui, perscripsi. Ceterum deos inmortalis obtestor, uti, quocunque modo ages, ea res tibi reiquo publicae prospere eveniat.

---

2. *his*] G. *iis* V. — 3. *utei*] V. *uti* G. — 14. *posteroque*] V. *postero* G. Fort. *postero quoque*. On. — 15. *magna*] V. *agnita* G. (Nimirum glutinatoris culpa v. *magna* difficile lectu factum est, unde interpolarunt *agnita*.) — 18. *obtrectatoribus*] V. *obtrectationibus* G. — 19. *utilissima* Vatic. secuudus. — 21. *optestor* V.

M. TULLII CICERONIS
ORATIO IN CATILINAM.

ARGUMENTUM.

L. Sergius Catilina, patricii generis, Sullanis temporibus in caedibus proscriptorum et in rapinis versatus, postea obaeratus res novas moliri coepit et adiunctis sibi sociis hominibus perditissimis, opprimendae rei publicae consilium iniit. Ex Africa, quam M'. Aemilio Lepido L. Volcatio Tullo Coss. (688. *U. c.*) *pro praetore obtinuerat, reversus a P. Clodio repetundarum reus factus est et, quamquam anno post absolutus est, tum tamen consulatus petitione prohibitus. Quare primum cum P. Autronio Paeto et P. Cornelio Sulla, qui Coss. designati in a.* 689. *U. c. de ambitu damnati cesserant Torquato et Cottae, et cum Cn. Pisone conspiravit extremo anno* 688., *consilio tamen et conatu interficiendorum consulum excidit. Iam cum anno* 690., *quo inter sicarios accusatus esse dicitur, iterum consulatum petiisset, Cicero autem et C. Antonius Hybrida facti essent consules, huic Catilinae amico ille iam consul* (691. *U. c.*) *per Fulviam a Q. Curio conscio de coniuratione certior factus pactione provinciae persuasit, ne contra rem publicam sentiret, atque furori Catilinae crescenti omni modo obstitit. Ubi igitur iste rursus consulatum petere aggressus est, Cicero de coniuratione in senatu verba fecit* (*a. d. XIV. et XIII. Kal. Nov.*) *et comitiis consularibus a. d. XII. Kal. Nov. in V. Kal. Nov. dilatis effecit, ut Catilina*

spem abiiceret. Ac cum XII. Kal. Nov. senatus decrevisset, darent operam Coss., ne quid res publica detrimenti caperet, ille extrema experiri et bellum facere constituit. Primus arma contra rem publicam movit C. Manlius Faesulas missus. Ipse Catilina coniuratis in Laecae domo consilia noctu (VI. et VII. Id. Nov.) aperuit. Hinc senatus consulto Q. Marcius Rex et Q. Metellus Creticus, qui erant ad Urbem cum exercitu, in Apuliam, praetores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum missi sunt, per totam autem Urbem vigiliae habitae. Postquam vero a. d. VII. Id. Nov. Cicero insidias effugerat Vargunteii et Cornelii per causam matutinae salutationis caedem ipsi molientium, a. d. VI. Id. Nov. in templo Iovis senatum habuit. In quem cum Catilina venire ausus esset, primam in eum orationem dixit, eique suasit, ut Urbe exiret. Ipse vero senatores precatus, ne quid temere de se crederent, omnes autem sibi obstrepere conspicatus, minatur suum incendium patriae ruina se restincturum, domum se e curia proripit et cum aliquot amicis in castra Manliana proficiscitur, relictis in Urbe consciis, quibus caedium et incendiorum partes erant datae. Proximo die (a. d. V. Id. Nov.) Cicero, uti volgo rentur, secundam orationem habuit ad populum, qua invidiam a se averteret Catilinae sive lenius puniti sive crudelius eiecti. Catilina igitur et Manlius a. d. XII. Kal. Decembr. senatus consulto patriae hostes sunt iudicati. Interea legati Allobrogum a P. Cornelio Lentulo Sura praetore per P. Umbrenum, equitem Romanum, sollicitati litteris ad populi sui senatum acceptis, sed Ciceroni per Q. Fabium Sangam civitatis suae patronum re patefactà discedentes a. d. IV.

aut III. Non. Decembr. tertia vigilia noctis iussu consulis a L. Valerio Flacco et C. Pomptinio praetoribus in ponte Mulvio comprehensi sunt et prima luce ad Ciceronem deducti. Hic arcessitis coniurationis principibus et senatu in Concordiae aedem convocato rem omnem certis indiciis et litteris patefecit. Itaque novem coniurationis principibus in custodiam datis senatus Ciceroni testimonium conservatae rei publicae et novum supplicationis genus decrevit. Quo facto Cicero iterum in contionem progressus a. d. III. aut prid. Kal. Dec. oratione tertia et quae in senatu acta essent exposuisse et ad concelebrandam supplicationem sibi a senatu decretam populum cohortatus esse fingitur. Denique Nonis Decembribus cum senatu de puniendis coniuratis deliberante duae essent sententiae, altera D. Iunii Silani cos. designati supplicium suadentis, altera C. Iulii Caesaris coniuratos bonis publicatis per municipia custodiendos esse censentis, tandem sententia Silani severior Catonis auctoritate et, ut plerique etiamnunc falso opinantur, oratione Ciceronis quarta commendata vicit. Itaque senatus consulto in hanc sententiam facto de quinque coniuratis in carcere supplicium est sumptum; Catilina autem cum plerisque sociis in praelio Pistoriensi Non. Ianuar. a. U. c. 692. cecidit.

I. Quousque tandem abutére, Catilina, patientia nostra? quamdiu etiam furor iste tuus [nos] eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Nihilne 1

---

§. 1. *nos* sine uncis Klotzius. Absolute est etiam in Pison. 33, 82. — *omnium horum* K.

te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora voltusque moverunt? Patere tua consilia non sentis? Constrictam iam horum omnium conscientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrûm ignorare
2 arbitraris? O tempora! o mores! Senatus haec intelligit, consul videt: hic tamen vivit. Vivit? Immo vero etiam in senatum venit; fit publici consilii particeps; notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrûm. Nos autem, viri fortes, satisfacere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iampridem oportebat; in te conferri pestem istam, quam tu in nos
3 omnes iamdiu machinaris. An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum mediocri-

---

§. 3. *Catilinam vero orbem* K. — *Q. Servilius* K. — *Habemus enim* K.

---

§. 1. *Palatii*] collis Palatini Foro coniuncti. — *locus*] templum Iovis Statoris in radicibus Palatii. cfr. §. 11. Praesidia ex equitibus Ro. constabant cfr. §. 21. Salust. 49. Cfr. eundem c. 30. — *timor populi*] Sal. c. 31. — *quid proxima, quid superiore*] Superior nox est eadem quae *prior* §. 8. scil. „*nox ea, quae consecuta est posterum diem Nonarum Novembrium* (5. Nov.)" pro Sulla §. 52. *Proxima nocte*, id est, ea, quae consecuta est VII. Id. Nov. (7. Nov.), quid egerit Catilina ignoramus.

§. 3. Ti. Gracchus, patre bis consule natus et Cornelia, superioris Africani filia, tribunus pl. toti Italiae civitatem pollicitus, simul etiam promulgatis agrariis legibus, Octavio collegae imperium abrogaverat atque se et socerum Appium et Caium fratrem triumviros agris dividendis coloniisque deducendis creaverat. Tum P. Scipio Nasica, consobrinus eius, circumdata laevo brachio togae lacinia, ex superiore parte Capitolii, qui rem publicam salvam esse vellent, se sequi iussit atque in Gracchanam

ter labefactantem statum rei publicae privatus interfecit: Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala Sp. Maelium novis rebus studentem manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum hostem coërcerent. Habemus senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave, non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis: nos, nos, dico aperte, consules desumus.

II. Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius con- 4
sul videret, ne quid res publica detrimenti caperet: nox nulla intercessit; interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus clarissimo patre avo maioribus; occisus est cum liberis M. Fulvius con-

---

turbam irruit. Gracchus fugiens et fragmine subsellii ictus ad ipsas fores templi vitam immatura morte finivit a. u. c. 621. Velleius 2, 3. Cic. Tusc. 4, 23. Steinmetz. — *privatus*] Pontificatus enim magistratus non erat, quippe qui perpetuus esset s. ad vitae tempus daretur, cum magistratus annui essent. Idem. — *Sp. Maelium*] Livii Epitome Lib. 4. *Cum fame populus Ro. laboraret, Sp. Maelius, eques Romanus, frumentum populo sua impensa largitus est; et ob id factum conciliata sibi plebe, regnum affectans, a C. Servilio Ahala, magistro equitum, iussu Quintii Cincinnati dictatoris occisus est* a u. c. 315.

§. 4. L. Opimius, qui praetor Fregellas exciderat, C. Gracchum persecutus armis unaque M. Fulvium Flaccum, consularem ac triumphalem virum, quem C. Gracchus in locum Tib. fratris triumvirum nominaverat, morte affecit. Flaccus in Aventino armatos ad pugnam ciens cum filio maiore iugulatus est; Gracchus profugiens, cum iam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, cervicem Euporo servo praebuit. Quinto, alteri Fulvii Flacci filio, qui bis ad senatum de condicionibus missus erat, permissum est genus mortis eligere a. u. c. 633. Velleius 2, 6 et 7. — *patre*] Ti. Sempronio Graccho, bis consule (aa. 577 et 591.) et censore, qui de Celtiberis triumphavit. — *avo*] P. Scipione Africano maiore.

sularis. Simili senatus consulto C. Mario et L. Valerio consulibus est permissa res publica. Num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebi et C. Servilium praetorem mors ac rei publicae poena remorata est? At vero nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim huiusmodi senatus consultum, verumtamen inclusum in tabulis, tamquam in vagina reconditum; quo ex senatus consulto confestim interfectum te esse, Catilina, convenit. Vivis: et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, patres conscripti, me esse clementem; cupio in tantis rei publicae periculis me non dissolutum videri: sed iam me ipsum inertiae nequi-
5 tiaeque condemno. Castra sunt in Italia contra rem publicam in Etruriae faucibus collocata; crescit in dies singulos hostium numerus: eorum autem castrorum imperatorem ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu videmus intestinam aliquam quotidie perniciem rei publicae molientem. Si te iam, Catilina, comprehendi, si interfici iussero, credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat. Verum ego hoc, quod iampridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor, ut faciam. Tum denique interficiam te, cum iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non iure factum esse
6 fateatur. Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives: et vives ita, ut vivis, multis meis et

§. 4. *sed etiam me* K. — §. 5. *imperatorem castrorum* K. — *si te interfici* K. — §. 6. *sed vives* Weiskii et Madvigii suspicio. — *ut nunc vivis* K.

§. 4. *C. Mario*] a. u. c. 654. — §. 5. *Castra - - in Etruriae*] Sal. c. 28.

firmis praesidiis obsessus, ne commovere te contra rem publícam possis. Multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient.

III. Etenim quid est, Catilina, quod iam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare coetus nefarios nec privata domus parietibus continere voces coniurationis [tuae] potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? Muta iam istam mentem, mihi crede: obliviscere caedis atque incendiorum. Teneris undique: luce sunt clariora nobis tua consilia omnia; quae iam mecum licet recognoscas. Meministine me ante diem XII. Kalendas Novembres dicere in senatu, fore in ar- 7
mis certo die, qui dies futurus esset ante diem VI. Kal. Novembres, C. Manlium, audaciae satellitem atque administrum tuae? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in senatu caedem te optimatium contulisse in ante diem V. Kalendas Novembres, tum, cum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi, quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num infitiari potes te illo ipso die meis praesidiis, mea diligentia circumclusum, commovere te contra rem publicam non potuisse, cum tu, discessu ceterorum, nostra

---

oppressus K. (Scribebant *opsessus*, unde corruptela *oppressus*.) — *tuae* sine uncis K. — *quae etiam* K. — *§. 7. Kalendarum Novembrium* bis K.

---

§. 7. a. d. XII. Kal. Nov.] Sal. c. 24. — *multi principes*] de hoc nihil apud Salustium. Neque enim eo referri potest, quod *Senati decreto Q. Marcius Rex Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque ea loca — praetores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum missi sunt.* Sal. c. 30.

tamen, qui remansissemus, caede contentum te esse di-
8 cebas? Quid? cum tu te Praeneste Kalendis ipsis Novembribus occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensistine illam coloniam meo iussu meis praesidiis vigiliisque esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, sed etiam videam planeque sentiam.

IV. Recognosce tandem mecum noctem illam superiorem: iam intelliges multo me vigilare acrius ad salutem quam te ad perniciem rei publicae. Dico te priore nocte venisse inter falcarios (non agam obscure) in M. Laecae domum; convenisse eodem complures eiusdem amentiae scelerisque socios. Num negare audes? Quid taces? Convincam, si negas. Video enim [esse] hic in senatu quosdam, qui tecum una fuerunt.
9 O dii immortales! ubinam gentium sumus? quam rem publicam habemus? in qua urbe vivimus? Hic, hic sunt, nostro in numero, patres conscripti, in hoc orbis terrae sanctissimo gravissimoque consilio, qui de nostro omnium interitu, qui de huius urbis atque adeo orbis terrarum exitio cogitent. Hosce ego video consul, et de re publica sententiam rogo! et, quos ferro trucidari

---

§. 8. *esse* sine uncis K. — §. 9. *nostrum omnium* K.

---

§. 8. *Praeneste*] hoc oppidum Latii, hodie *Palestrina*, cc. stadiis ab Urbe distans ac munitissimum in primis aptum erat ad res novas moliendas, ut ex altera parte Capua, quam tentavit per C. Marcellum a P. Sestio inde exterminatum. Incepta haec Salustius his vv. c. 24. complexus esse videtur: *arma per Italiam locis opportunis parare.* et magis etiam apposite c. 27. '*Manlium Faesulas, Septimium quendam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit; praeterea alium alio, quem ubique opportunum sibi fore credebat.* — *in M. Laecae*] pro Sulla §. 52. et sqq. *Intempesta nocte coniurationis principes convocat per M. Porcium Laecam.*

oportebat, eos nondum voce volnero! Fuisti igitur apud
Laecam illa nocte, Catilina: distribuisti partes Italiae;
statuisti, quo quemque proficisci placeret; delegisti,
quos Romae relinqueres, quos tecum educeres; descri-
psisti urbis partes ad incendia; confirmasti te ipsum iam
esse exiturum; dixisti paullulum tibi esse etiam nunc
morae, quod ego viverem. Reperti sunt duo equites
Romani, qui te ista cura liberarent et sese illa ipsa
nocte paullo ante lucem me in meo lectulo interfectu-
ros esse pollicerentur. Haec ego omnia, vixdum etiam 10
coetu vestro dimisso, comperi; domum meam maioribus
praesidiis munivi atque firmavi; exclusi eos, quos tu
mane ad me salutatum miseras, cum illi ipsi venissent,
quos ego iam multis ac summis viris ad me id tempo-
ris venturos esse praedixeram.

V. Quae cum ita sint, Catilina, perge, quo coepi-
sti; egredere aliquando ex urbe; patent portae: pro-
ficiscere. Nimium diu te imperatorem tua illa Manliana
castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos: si
minus, quam plurimos. Purga urbem. Magno me metu
liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit.
Nobiscum versari iam diutius non potes: non feram,
non sinam. Magna diis immortalibus habenda est atque 11
huic ipsi Iovi Statori, antiquissimo custodi huius ur-
bis, gratia, quod hanc tam taetram, tam horribilem
tamque infestam rei publicae pestem toties iam effugi-
mus. Non est saepius in uno homine summa salus pe-

---

§. 10. *ad me salutatum mane* K.

---

§. 9 *duo equites Romani*] Sal. Cat. 28. cfr. Sullanae §. 53., ubi unus C. Cornelius nominatur; sed ibid. 6. *Vargunteius* coniuratis postea iudicio publico condemnatis annumeratur.

riclitanda rei publicae. Quamdiu mihi consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi. Cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores tuos interficere voluisti, compressi conatus tuos nefarios amicorum praesidio et copiis, nullo tumultu publice concitato; denique, quotiescunque me petisti, per me tibi obstiti: quamquam videbam perniciem meam cum magna calamitate rei publicae esse coniunctam.
12 Nunc iam aperte rem publicam universam petis: templa deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam, ad exitium ac vastitatem vocas.

Quare, quoniam id, quod est primum et quod huius imperii disciplinaeque maiorum proprium est, facere nondum audeo, faciam id, quod est ad severitatem lenius et ad communem salutem utilius. Nam, si te interfici iussero, residebit in re publica reliqua coniuratorum manus; sin tu, quod te iamdudum hortor, exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perni-
13 ciosa sentina rei publicae. Quid est, Catilina? num dubitas id me imperante facere, quod iam tua sponte faciebas? Exire ex urbe iubet consul hostem. Interrogas me, num in exilium? Non iubeo: sed si me consulis, suadeo.

VI. Quid est enim, Catilina, quod te iam in hac urbe delectare possit? in qua nemo est extra istam

---

§. 11. *proximis comitiis*] quae habita sunt inter a. d. XII. Kal. Nov. et Non. Nov. De iis cfr. Sull. §. 51. et Muren. c. 25. et 26. Competitores fuerunt D. Iunius Silanus et L. Licinius Murena. De insidiis, quibus Cicero petitus est, Sal. c. 26. Ad v. *tuorum comitum* - - *sentina reip.* cfr. Sal. c. 37. *omnes quos flagitium aut facinus domo expulerat, ii Romam sicut in* s e n t i n a m *confluxerant.*

coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat; nemo, qui non oderit. Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? [quod privatarum rerum dedecus non haeret infamiae?] quae libido ab oculis, quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum aut ad libidinem facem praetulisti?
Quid vero? nuper, cum morte superioris uxoris novis 14
nuptiis domum vacuefecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod ego praetermitto et facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse aut non vindicata esse videatur. Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties: ad illa venio, quae non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem, sed ad summam rem publicam atque ad omnium nostrûm vitam salutemque pertinent. Potestne 15
tibi haec lux, Catilina, aut huius caeli spiritus esse iucundus, cum scias horum esse neminem, qui nesciat te pridie Kalendas Ianuarias Lepido et Tullo consulibus stetisse in comitio cum telo? manum consulum et prin-

---

§. 13. *qui te non oderit* K. — *quod - - infamiae?* sine uncis K. — *non inhaeret in fama?* A. Augustinus.

---

§. 13. *cui tu adolescentulo*] Sal. c. 14. — §. 14. *alio incredibili scelere*] Sal. c 15. De coniuge necata nihil tradit Salustius. — §. 15. *Lepido et Tullo*] M'. Aemilius Lepidus et L. Volcatius Tullus coss. a. u. c. 688. Varr. Rem narrat Sal. c. 18. Cic. Orat. in toga candida in Baiteri Asconio p. 93. *Praetereo illum nefarium conatum tuum et paene acerbum et luctuosum rei publicae diem, cum Cn. Pisone socio neque alio nemine*

cipum civitatis interficiendorum causa paravisse? sceleri ac furori tuo non mentem aliquam aut timorem tuum, sed fortunam populi Romani obstitisse? Ac iam illa omitto (neque enim sunt aut obscura aut non multa post commissa): quotiens tu me designatum, quotiens consulem interficere conatus es! quot ego tuas petitiones ita coniectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione et, ut aiunt, corpore effugi! [Nihil agis], nihil assequeris, [nihil moliris], neque
16 tamen conari ac velle desistis. Quotiens tibi iam extorta est sica ista de manibus! quotiens vero excidit casu aliquo et elapsa est! [tamen ea carere diutius non potes]: quae quidem quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio, quod eam necesse putas esse in consulis corpore defigere.

VII. Nunc vero, quae tua est ista vita? Sic enim iam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur. Venisti paullo ante in senatum: quis te ex hac tanta frequentia, tot ex tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, cum sis gravissimo iudicio taciturnitatis oppressus? Quid, quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt, quod omnes consu-

---

§. 15. *commissa postea* K. — *nihil moliris* sine uncis K. — *moliris* [*quod mihi latere valeat in tempore*] K. — §. 16. *tamen - - potes* sine uncis K. (Inculcata sunt ex Cap. 9.)

---

caedem optimatum facere voluisti. Ubi Asconius: *Fuit opinio, Catilinam et Cn. Pisonem, adolescentem perditum, coniurasse ad caedem senatus faciendam - - Cotta et Torquato coss. eamque caedem ideo non esse factam, quod prius, quam parati essent, coniuratis signum dedisset Catilina;* id quod desumpsisse videtur e Salustio l. l.

lares, qui tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt,
simul atque assedisti, partem istam subselliorum nu-
dam atque inanem reliquerunt, quo tandem animo hoc
tibi ferendum putas? Servi mehercule mei si me isto 17
pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, do-
mum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non
arbitraris? et, si me meis civibus iniuria suspectum
tam graviter atque offensum viderem, carere me ad-
spectu civium quam infestis oculis omnium conspici
mallem: tu, cum conscientia scelerum tuorum agnoscas
odium omnium iustum et iamdiu tibi debitum, dubi-
tas, quorum mentes sensusque volneras, eorum adspe-
ctum praesentiamque vitare? Si te parentes timerent
atque odissent tui neque eos ulla ratione placare pos-
ses, ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes:
nunc te patria, quae communis est omnium nostrûm
parens, odit ac metuit et iamdiu te nihil iudicat nisi
de parricidio suo cogitare. Huius tu neque auctorita-
tem verebere nec iudicium sequere nec vim pertime-
sces? Quae tecum, Catilina, sic agit et quodam modo 18
tacita loquitur: «Nullum iam aliquot annis facinus
exstitit nisi per te; nullum flagitium sine te; tibi uni
multorum civium neces, tibi vexatio direptioque socio-
rum impunita fuit ac libera; tu non solum ad negli-
gendas leges et quaestiones, verum etiam ad everten-
das perfringendasque valuisti. Superiora illa, quam-
quam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli: nunc
vero me totam esse in metu propter unum te, quidquid

§. 18. *negligendas [vertendasque] leges* K. — *etiam ad devincendas* K. — *te unum* K.

§. 18. *multorum civium necem*] Q. Cicero de petit. cons. §. 9. *Antonius* (Ciceronis collega) *umbram suam metuit;* (Catilina) *ne leges quidem,*

increpuerit, Catilinam timeri, nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discede atque hunc mihi timorem eripe: si est verus, ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.»

19 VIII. Haec si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiamsi vim adhibere non possit? Quid, quod tu te ipse in custodiam dedisti? quod vitandae suspicionis causa ad M'. Lepidum te habitare velle dixisti? a quo non receptus, etiam ad me venire ausus es atque, ut domi meae te asservarem, rogasti. Cum a me quoque id responsi tulisses, me nullo modo

---

§. 19. *domui* K. — *responsum* K.

---

natus in patris egestate, educatus in sororis stupris, corroboratus in caede civium; cuius primus ad rem publicam aditus in equitibus Romanis occidendis fuit. Nam illis, quos meminimus, Gallis, qui tum Titiniorum ac Nanniorum ac Tanusiorum capita demetebant, Sulla unum Catilinam praefecerat; in quibus ille hominem optimum, Q. Caecilium, sororis suae virum, equitem Romanum, nullarum partium, cum semper natura, tum etiam aetate iam quietum suis manibus occidit - - hominem carissimum populo Romano, M. Marium (Gratidianum) *vitibus per totam urbem cecidit; ad bustum egit, ibi omni cruciatu laceravit, collum gladio sua dextera secuit, cum sinistra capillum eius a vertice teneret; caput sua manu tulit, cum inter digitos eius rivi sanguinis fluerent* cet. Similia tradit Asconius in Or. in toga cand. p. 84. Bait. — *direptio sociorum*] Ascon. Ped. l. l. p. 85. *Catilina ex praetura Africam provinciam obtinuit. Quam cum graviter vexasset, legati Afri iam tum absente illo questi sunt - -; cum redisset ex Africa Torquato et Cotta coss. accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, (qui postea inimicus Ciceronis fuit;) — ita tamen, ut Clodius infamis fuerit praevaricatus esse* (ibid. p. 87.) Voc. *quaestiones* ad hanc ipsam repetundarum causam refertur. Cfr. Cic. Or. in toga cand. p. 86. Bait. *Stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit; caede nefaria cruentavit; diripuit socios; leges quaestiones iudicia violavit. Quid ego, ut involaveris provinciam, praedicem? Nam ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es.*

§. 19. *ad M'. Lepidum*] consulem a. u. c. 688. Rem ita narrat Cas-

posse iisdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem moenibus contineremur, ad Q. Metellum praetorem venisti. A quo repudiatus, ad sodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum demigrasti; quem tu videlicet et ad custodiendum te diligentissimum et ad suspicandum sagacissimum et ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipse iam dignum custodia iudicarit? Quae cum ita 20 sint, Catilina, dubitas, si emori aequo animo non potes, abire in aliquas terras et vitam istam, multis suppliciis iustis debitisque ereptam, fugae solitudinique mandare?

«Refer, inquis, ad senatum:» id enim postulas, et, si hic ordo sibi placere decreverit te ire in exilium,

---

— *ipsum* K. — §. 20. *si hic morari* Ernestius. —

---

sius Dio 37, 32. *Τὰ δὲ ἐκ τῶν Τυρσηνῶν ἀγγελλόμενα τήν τε αἰτίαν ἐπιστώσατο καὶ βίας ἐπ᾽ αὐτοῖς γραφὴν τῷ Κατιλίνᾳ παρεσκεύασε.* (Scil. *lege Plautia interrogatus est ab L. Paullo*. Sal. c. 31.) *Καὶ ὃς τὰ μὲν πρῶτα καὶ πάνυ αὐτὴν ἑτοίμως ὡς καὶ ἀπὸ χρηστοῦ τοῦ συνειδότος ἐδέξατο· πρός τε τὴν δίκην ἡτοιμάζετο καὶ τῷ Κικέρωνι αὐτῷ τηρεῖν ἑαυτὸν, ὅπως δὴ μὴ φύγῃ που, παρεδίδου· μὴ προσδεξαμένου δὲ ἐκείνου τὴν φρουρὰν αὐτοῦ, παρὰ τῷ Μετέλλῳ τῷ στρατηγῷ τὴν δίαιταν ἑκουσίως ἐποιεῖτο, ἵν᾽ ὡς ἥκιστα ὑποπτευθῇ νεωτερίζων τι, μέχρις ἂν καὶ ἐκ τῶν αὐτόθι συνωμοτῶν ἰσχυρόν τι προσλάβῃ.* — Q. Caecilius Metellus Celer postea consul a. u. c. 694., ab uxore Clodia veneno sublatus a. u. c. 695. — *M. Marcellum*] Muretus opinatur hunc M. Marcellum illius C. Marcelli patrem fuisse, quem ex Capua exterminandum curavit Sestius (pro

obtemperaturum te esse dicis. Non referam, id quod abhorret a meis moribus: sed tamen faciam, ut intelligas, quid hi de te sentiant. Egredere ex urbe, Catilina: libera rem publicam metu: in exilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere. Quid est, Catilina? ecquid attendis, ecquid animadvertis horum silentium? Patiuntur, tacent. Quid exspectas auctoritatem loquentium,
21 quorum voluntatem tacitorum perspicis? At si hoc idem huic adolescenti optimo, P. Sestio, si fortissimo viro, M. Marcello dixissem, iam mihi consuli hoc ipso in templo iure optimo senatus vim et manus intulisset. De te autem, Catilina, cum quiescunt, probant, cum patiuntur, decernunt, cum tacent, clamant. Neque hi solum, quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima: sed etiam illi equites Romani, honestissimi atque optimi viri, ceterique fortissimi cives, qui circumstant senatum, quorum tu et frequentiam videre et studia perspicere et voces paullo ante exaudire potuisti. Quorum ego vix abs te iamdiu manus ac tela contineo, eosdem facile adducam, ut te haec, quae iampridem vastare studes, relinquentem usque ad portas prosequantur.

22 IX. Quamquam quid loquor? te ut ulla res fran-

Sestio §. 9.) Paulus Orosius 6, 6. *Motus etiam in Pelignis ortus a Marcellis patre et filio, per L. Vettium proditus, patefacta Catilinae coniuratione, quasi succisa radice compressus est et de utroque per Bibulum in Pelignis, per Q. Ciceronem in Bruttiis vindicatus est.*

§. 21. *P. Sestio*] *Quaestor hic C. Antonii, collegae mei, fuit sorte, sed societate consiliorum meus. Impedior nonnullius officii, ut ego interpretor, religione, quo minus exponam, quam multa P. Sestius, cum esset cum collega meo, senserit, ad me detulerit, quanto ante providerit.* pro Sestio §. 8. *M. Marcello*] consuli a. u. c. 703. ei, pro quo extat dubia oratio Marcelliana. (Exul Athenis interfectus a Magio Chilone. ad Famil. 4, 12.) Probe is distinguendus ab illo M. Marcello, quem supra carpit.

gat? tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam medi-
tere? tu ut ullum exilium cogites? Utinam tibi istam
mentem dii immortales duint! tametsi video, si mea voce
perterritus ire in exilium animum induxeris, quanta
tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus
recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem
impendeat. Sed est tanti; dummodo ista privata sit
calamitas et a rei publicae periculis seiungatur. Sed
tu ut vitiis tuis commoveare, ut legum poenas perti-
mescas, ut temporibus rei publicae cedas, non est po-
stulandum. Neque enim is es, Catilina, ut te aut pu-
dor a turpitudine aut metus a periculo aut ratio a fu-
rore revocarit. Quamobrem, ut saepe iam dixi, profi- 23
ciscere: ac, si mihi inimico, ut praedicas, tuo conflare
vis invidiam, recta perge in exilium: vix feram sermo-
nes hominum, si id feceris; vix molem istius invidiae,
si in exilium iussu consulis ieris, sustinebo. Sin autem
servire meae laudi et gloriae mavis, egredere cum im-
portuna sceleratorum manu; confer te ad Manlium;
concita perditos cives; secerne te a bonis; infer pa-
triae bellum; exsulta impio latrocinio, ut a me non
eiectus ad alienos, sed invitatus ad tuos isse videaris.
Quamquam quid ego te invitem, a quo iam sciam esse 24
praemissos, qui tibi ad Forum Aurelium praestolaren-
tur armati? cui sciam pactam et constitutam cum Man-

§. 22. *pudor unquam* (ex Quintil. 9, 3, 62.) K. — §. 23. *recta via* ex gloss. K. — *isse] esse* K.

§. 24. *Forum Aurelium (s. Aurelii)* parvum Etruriae oppidum inter flumina Armentam (*Fiora*) et Martam, non procul a mari remotum, quod nomen et originem habuisse videtur ab Aurelio quodam, qui viam Aureliam a Roma Pisas usque munivit. Steinmetz. — *aquilam*] Sal. c. 59.

lio diem? a quo etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus perniciosam esse confido ac funestam futuram, cui domi tuae sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse praemissam? Tu ut illa carere diutius possis, quam venerari ad caedem proficiscens solebas, a cuius altaribus saepe istam impiam dexteram ad necem civium transtulisti?

25 X. Ibis tandem aliquando, quo te iampridem tua ista cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. Neque enim tibi haec res affert dolorem, sed quandam incredibilem voluptatem. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. Nunquam tu non modo otium, sed ne bellum quidem nisi nefarium concupisti. Nactus es ex perditis atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis, conflatam impro-
26 borum manum. Hic tu qua laetitia perfruere? quibus gaudiis exsultabis? quanta in voluptate bacchabere, cum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam neque videbis? Ad huius vitae studium meditati sunt illi, qui feruntur, labores tui: iacere humi non modo ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum; vigilare non solum insidiantem somno

---

§. 24. *domui* K. — §. 26. *bonis occisorum* Ernestius.

---

§. 26. *labores tui*] Sal. c. 5. pro Caelio §. 12. *Studuit Catilinae Caelius. Et multi hoc idem ex omni ordine atque ex omni aetate fecerunt. Habuit enim ille permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum. Utebatur hominibus improbis multis: et quidem optimis se viris deditum esse simulabat. Erant apud illum illecebrae libidinum multae: erant etiam industriae quidam stimuli et laboris. Flagrabant vitia libidinis apud illum: vigebant etiam studia rei militaris. Neque ego unquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto tam ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum.* — *te a consulatu reppuli*] paucis ante diebus. cfr. pro Murena c. 25 seqq.

maritorum, verum etiam bonis otiosorum. Habes, ubi ostentes illam tuam praeclaram patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium, quibus te brevi tempore confectum esse senties. Tantum profeci [tum], cum 27 te a consulatu reppuli, ut exul potius tentare quam consul vexare rem publicam posses atque ut id, quod esset abs te scelerate susceptum, latrocinium potius quam bellum nominaretur.

XI. Nunc, ut a me, patres conscripti, quandam prope iustam patriae querimoniam detester ac deprecer, percipite, quaeso, diligenter, quae dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. Etenim, si mecum patria, quae mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si omnis res publica loquatur: «M. Tulli, quid agis? tune eum, quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem exspectari imperatorem in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem coniurationis, evocatorem servorum et civium perditorum, exire patiere, ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur? nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis? Quid tandem te impedit? Mosne 28 maiorum? At persaepe etiam privati in hac re publica perniciosos cives morte multarunt. An leges, quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt? At nunquam in hac urbe ii, qui a re publica defecerunt, civium

---

§ 27. *tum* sine uncis K. — *quaeso, percipite* K. — *est vita mea multo* K. — *sic loquatur* Madvigius ex Quintil. 9, 2, 32.

---

§. 28. *leges*] Valeriae et Porcia. „P. Valerius Publicola consul a. 245., legem ad populum tulit eam, quae centuriatis comitiis prima lata est, ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret neve verberaret. Cic. de Rep. 2, 31. Liv. 2, 8. Postea L. Valerii Potiti

iura tenuerunt. An invidiam posteritatis times? Praeclaram vero populo Romano refers gratiam, qui te hominem per te cognitum, nulla commendatione maiorum tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiam aut alicuius periculi
29 metum salutem civium tuorum negligis. Sed, si quis est invidiae metus, num est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia quam inertiae ac nequitiae pertimescenda? An cum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas invidiae incendio conflagraturum?»

XII. His ego sanctissimis rei publicae vocibus et eorum hominum, qui hoc idem sentiunt, mentibus pauca respondebo. Ego, si hoc optimum factu iudicarem, patres conscripti, Catilinam morte multari, unius usuram horae gladiatori isti ad vivendum non dedissem. Etenim, si summi viri et clarissimi cives Saturnini et Gracchorum et Flacci et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt, certe verendum mihi non erat, ne quid hoc

§. 28. *referes* K. — §. 29. *non est - - pertimescenda.* K. — *facto* K.

et M. Horatii Barbati consularis lex sanxit, ne qui magistratus sine provocatione crearetur a. u. c. 303. Cic. l. l. Liv. 3, 55. Denique anno 432. M. Valerius Cervus de provocatione legem tulit, diligentius sanctam. Tertia earum post reges exactos lata est, semper a familia eadem. Liv. 10, 9. Leges Porciae, quae tres sunt trium Porciorum (quorum unus fuisse videtur P. Porcius Laeca trib. pl. a. 555. Liv. 32, 7.), virgas ab omnium civium Romanorum corpore amoverunt, gravi poena sanciendo, si quis verberasset necassetve civem Romanum; neque vero quidquam praeter sanctionem attulerunt novi. Valeria lex cum eum, qui provocasset virgis caedi securique necari vetuisset, si quis adversus ea fecisset, nihil ultra quam improbe factum adiecit. Cic. de Rep. l. l. et pro C. Rabir. 4. Liv. l. l." Steinmetz.

parricida civium interfecto invidiae mihi in posterita-
tem redundaret. Quodsi ea mihi maxime impenderet,
tamen hoc animo semper fui, ut invidiam virtute par-
tam gloriam, non invidiam putarem. Quamquam non- 30
nulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quae imminent,
non videant, aut ea, quae vident, dissimulent: qui spem
Catilinae mollibus sententiis aluerunt, coniurationem-
que nascentem non credendo corroboraverunt; quorum
auctoritatem secuti multi, non solum improbi, verum
etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter
et regie factum esse dicerent. Nunc intelligo, si iste,
quo intendit, in Manliana castra pervenerit, neminem
tam stultum fore, qui non videat coniurationem esse
factam, neminem tam improbum, qui non fateatur.
Hoc autem uno interfecto intelligo hanc rei publicae
pestem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi
posse. Quodsi se eiecerit secumque suos eduxerit, et
eodem ceteros undique collectos naufragos aggregave-
rit, exstinguetur atque delebitur non modo haec tam
adulta rei publicae pestis, verum etiam stirps ac semen
malorum omnium.

XIII. Etenim iamdiu, patres conscripti, in his peri- 31
culis coniurationis insidiisque versamur, sed nescio quo
pacto omnium scelerum ac veteris furoris et audaciae
maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quodsi
ex tanto latrocinio iste unus tolletur, videbimur fortasse
ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati:
periculum autem residebit et erit inclusum penitus in
venis atque in visceribus rei publicae. Ut saepe homi-
nes aegri morbo gravi, cum aestu febrique iactantur,

---

§. 31. *iamdiu*] „totum triennium a consulatu Lepidi et Tulli. Vide pro Murena §. 81." Matth.

si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque afflictantur, hic morbus, qui est in re publica, relevatus istius poena vehe-
32 mentius vivis reliquis ingravescet. Quare secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur, muro denique, id quod saepe iam dixi, secernantur a nobis: desinant insidiari domi suae consuli, circumstare tribunal praetoris urbani, obsidere cum gladiis curiam, malleolos et faces ad inflammandam urbem comparare; sit denique inscriptum in fronte unius cuiusque, quid de re publica sentiat. Polliceor vobis hoc, patres conscripti, tantam in nobis consulibus fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus Romanis virtutem, tantam in omnibus bonis consensionem, ut Catilinae profectione omnia patefacta illustrata, oppressa vindicata esse videatis.

33 Hisce ominibus, Catilina, cum summa rei publicae salute et cum tua peste ac pernicie cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere parricidioque iunxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium. Tum tu, Iuppiter, qui iisdem, quibus haec urbs, auspiciis a Romulo es constitutus, quem Statorem huius urbis atque imperii vere nominamus, hunc et huius socios a tuis aris ceterisque templis, a tectis urbis ac moenibus, a

---

§. 32. *domui* K.

---

§. 32. *praetoris urbani*] L. Valerii Flacci, pro quo exstat oratio. Circumstant eius tribunal, ut deterreant eum ius dicentem inter cives de creditis pecuniis, ut notat Manutius.

§. 33. *a Romulo*] Liv. 1, 12. *Romulus et ipse turba fugientium actus, arma ad caelum tollens, Iuppiter, tuis, inquit, iussus avibus hic in*

vita fortunisque civium [omnium] arcebis: et homines bonorum inimicos, hostes patriae, latrones Italiae, scelerum foedere inter se ac nefaria societate coniunctos aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.

---

§. 33. *omnium* sine uncis K. — *inimicos bonorum* K.

Palatio prima urbi fundamenta ieci: — deme terrorem Romanis; fugam foedam siste; hic ego tibi templum, Statori Iovi, quod monumentum sit posteris tua praesenti ope servatam urbem esse, voveo.

EPITOMAE

T. LIVII

LIBRORUM CXL.

Liber I.

Adventus Aeneae in Italiam et eius res gestae re- A.U.C.
feruntur. Ascanii regnum Albae, et deinceps Silvio- Varr.
rum. Numitoris filiâ a Marte compressâ nati Romulus
et Remus. Amulius obtruncatus. Urbs a Romulo con- 1
dita, senatus lectus, cum Sabinis bellatum, spolia opima
Feretrio Iovi lata, in curias populus divisus, Fidena-
tes et Veientes victi. Romulus consecratus. Numa 39
Pompilius ritus sacrorum tradidit; Iano templum con-
stituit, eiusque portam, pacatis omnibus circa populis,
primus clausit; cum dea Egeria sibi congressus noctur-
nos esse simulans feroces populi animos ad religionem
perpulit. Tullus Hostilius Albanos bello petiit. Tri- 81
geminorum pugna, Horatius absolutus, Metti Fuffetii
supplicium, Alba diruta, Albani in civitatem recepti,
Sabinis bellum indictum. Ad postremum fulmine Tul-
lus absumptus. Ancus Marcius cerimonias a Numa in- 113
stitutas renovavit; Latinis victis et ad civitatem ad-
scitis montem Aventinum assignavit; Politorium urbem
Latinorum, bello repetitam, quam Prisci Latini occu-
paverant, diruit; pontem sublicium in Tiberim fecit;
Ianiculum collem urbi addidit; fines imperii protulit;

Ostiam condidit. Regnavit annos viginti quattuor. Eo regnante Lucumo Damarati Corinthii filius, a Tarquiniis Etruriae civitate Romam venit, et in amicitiam
138 Anci receptus Tarquinii nomen ferre coepit, et post mortem Anci regnum excepit. Centum additis patrum numerum auxit. Latinos subegit, circum designavit, ludos edidit. Sabinorum bello petitus equitum centurias ampliavit. Hic tentandae scientiae Atti Navii auguris causa, fertur consuluisse eum, an id de quo cogitaret effici posset; quod cum ille fieri posse respondisset, iussisse eum novacula cotem praecidere, idque protinus ab Atto factum. Sabinos praeterea acie vicit, urbem muro circumdedit, cloacas fecit. Occisus est ab Anci filiis, cum regnasset annos triginta octo. Succes-
176 sit ei Ser. Tullius, natus ex captiva nobili Corniculana; cui puero adhuc in cunis posito caput arsisse traditum est. Veientes atque Etruscos proelio fudit. Censum primus egit; lustrum condidit, quo civium capita censa octoginta milia esse dicuntur. Classes centuriasque descripsit. Pomoerium protulit; colles urbi Quirinalem, Viminalem Esquilinumque adiecit. Templum Dianae cum Latinis in Aventino fecit. Interfectus est a L. Tarquinio Prisci filio, consilio filiae suae Tulliae, cum regnasset annos quadraginta quattuor. Post hunc
220 L. Tarquinius Superbus, neque patrum neque populi iussu, regnum invasit; quo die scelerata Tullia per patris iacentis corpus carpentum egit. Armatos circa se ad custodiam corporis sui habuit. Turnum Herdonium fraude interemit. Bellum cum Volscis gessit, et ex eorum praeda templum Iovi in Capitolio fecit. Terminus et Iuventas non addixere; quorum arae moveri non potuerunt. Filii Sex. Tarquinii dolo Gabios in potestatem suam redegit. Huius filiis Delphos profectis, et

consulentibus quis eorum regnaturus esset Romae, dictum est eum regnaturum, qui primus matrem osculatus esset. Quod responsum cum ipsi aliter interpretarentur, Iunius Brutus, qui cum iis profectus erat, prolapsum se simulavit et terram osculatus est. Idque factum eius eventus rei comprobavit. Nam cum impotenter se gerendo Tarquinius Superbus omnes in odium sui adduxisset, ad ultimum propter expugnatam nocturna vi a Sexto filio eius Lucretiae pudicitiam, quae, vocato patre ad se Tricipitino et viro Collatino, obtestata, ne inulta mors eius esset, cultro se interemit, Bruti opera maxime expulsus est, cum regnasset annos viginti quinque. Tunc consules primum creati sunt L. Iunius Brutus et 245
L. Tarquinius Collatinus.

Liber II.

Brutus iure iurando populum adstrinxit neminem Romae regnare passuros. Tarquinium Collatinum, collegam suum, propter affinitatem Tarquiniorum suspectum coëgit consulatu se abdicare et civitate cedere. Bona regum diripi iussit; agrum Marti consecravit, qui campus Martius nominatus est. Adolescentes nobiles, quia coniuraverant de recipiendis regibus, securi percussit. Servo indici, cui Vindicio nomen fuit, libertatem dedit; ex cuius nomine vindicta adpellata. Cum adversus reges, qui contractis Veientium et Tarquiniensium copiis bellum intulerant, exercitum duxisset, in acie cum Arunte filio Superbi commortuus est; eumque matronae annum luxerunt. P. Valerius consul legem de provocatione ad populum tulit. Capitolium dedicatum est. Porsenna rex Clusinorum, bello pro Tarqui- 246
niis suscepto, cum ad Ianiculum venisset, ne Tiberim

transiret, virtute Coclitis Horatii prohibitus est, qui,
dum alii pontem sublicium rescindunt, solus Etruscos
sustinuit, et ponte rupto armatus se in flumen misit et
ad suos tranavit. Alterum accessit virtutis exemplum
a Mucio, qui cum ad feriundum Porsennam castra ho-
stium intrasset, occiso scriba, quem regem esse puta-
bat, comprehensus, impositam altaribus manum, in qui-
bus sacrificatum erat, exuri passus est, dixitque tales
trecentos esse coniuratos in mortem ipsius regis. Quo-
rum admiratione coactus Porsenna pacis condiciones
ferre bellum omisit, acceptis obsidibus. Ex quibus
virgo una Cloelia deceptis custodibus per Tiberim ad
suos tranavit; et cum reddita esset, a Porsenna hono-
250 rifice remissa, equestri statua donata est. Ap. Clau-
dius ex Sabinis Romam transfugit: ob hoc Claudia tri-
bus adiecta est numerusque tribuum ampliatus, ut essent
viginti una. Adversus Tarquinium Superbum cum La-
258 tinorum exercitu bellum inferentem A. Postumius dicta-
260 tor prospere pugnavit apud lacum Regillum. Plebs
cum propter nexos ob aes alienum in Sacrum montem
secessisset, consilio Menenii Agrippae a seditione revo-
cata est. Idem Agrippa, cum decessisset, propter pau-
pertatem publico impendio elatus est. Tribuni plebis
261 quinque creati sunt. Oppidum Volscorum Corioli ca-
ptum est virtute et opera C. Marcii, qui ob hoc Corio-
lanus vocatus est. Ti. Atinius, vir de plebe, cum in
visu admonitus, ut de quibusdam religionibus ad sena-
tum perferret, id neglexisset, amisso filio, debilis fa-
ctus, postquam delatus ad senatum lectica eadem illa
indicaverat, usu pedum recepto domum reversus est.
263 Cum C. Marcius Coriolanus, qui in exsilium erat pul-
sus, dux Volscorum factus exercitum hostium urbi Ro-
mae admovisset, et missi ad eum primum legati, postea

sacerdotes frustra deprecati essent, ne bellum patriae
inferret, Veturia mater et Volumnia uxor impetrave-
runt ab eo, ut recederet. Lex agraria primum lata 266 268
est. Sp. Cassius consularis regni crimine damnatus 269
est necatusque. Oppia virgo Vestalis ob incestum viva
defossa est. Cum vicini hostes Veientes incommodi ma-
gis quam graves essent, familia Fabiorum id bellum
gerendum depoposcit, misitque in id trecentos sex ar- 275
matos, qui ad Cremeram ad unum ab hostibus caesi 277
sunt, uno impubere domi relicto. Ap. Claudius consul, 283
cum adversus Volscos contumacia exercitus male pu-
gnatum esset, decimum quemque militum fuste percus-
sit. Res praeterea adversum Volscos et Aequos et
Veientes et seditiones inter patres plebemque continet.

Liber III.

Seditiones de agrariis legibus factae. Capitolium 294
ab exsulibus et servis occupatum, caesis iis receptum
est. Census bis actus est: priore lustro censa sunt ci- 290
vium capita centum quattuor milia ducenta quattuor-
decim, praeter orbos orbasque, sequenti centum se- 295
ptemdecim milia ducenta novemdecim. Cum adversus
Aequos res male gesta esset, L. Quintius Cincinnatus 296
dictator factus, cum rure intentus rustico operi esset,
ad id bellum gerendum arcessitus est. Is victos hostes
sub iugum misit. Tribunorum plebis numerus amplia- 297
tus est, ut essent decem, trigesimo sexto anno a pri-
mis tribunis plebis. Petitis per legatos et allatis Atti-
cis legibus, ad constituendas eas proponendasque de-
cemviri pro consulibus sine ullis aliis magistratibus
creati, altero et trecentesimo anno quam Roma con- 303
dita erat; et ut a regibus ad consules, ita a consuli-

bus ad decemviros translatum imperium. Hi decem
tabulis legum positis, cum modeste se in eo honore
304 gessissent, et ob id in alterum quoque annum eundem
esse magistratum placuisset, duabus tabulis ad decem
adiectis cum complura impotenter fecissent, magi-
305 stratum noluerunt deponere et in tertium annum reti-
nuerunt, donec inviso eorum imperio finem attulit
libido Ap. Claudii, qui cum in amorem Virginiae vir-
ginis incidisset, summisso qui eam in servitutem pete-
ret, ... necessitatem patri eius Virginio imposuit;
rapto enim ex taberna proxima cultro filiam occidit,
cum aliter eam tueri non posset, ne in potestatem
stuprum illaturi veniret. Hoc tam magnae luxuriae
exemplo plebs incitata montem Aventinum occupavit,
coëgitque decemviros abdicare se magistratu. Ex qui-
bus Appius et unus collegarum, qui praecipue poenam
meruerant, in carcerem coniecti, ceteri in exsilium acti.
Res praeterea contra Sabinos et Volscos et Aequos
prospere gestas continet, et parum honestum populi
306 Romani iudicium, qui iudex inter Ardeates et Aricinos
sumptus, agrum, de quo ambigebatur, sibi adiudicavit.

Liber IV.

309 Lex de connubio patrum et plebis a tribunis plebis
contentione magna, patribus repugnantibus, perlata est.
310 Tribuni militares. Aliquot annis res populi Romani
domi militiaeque per hoc genus magistratus admini-

---

8. *Virginiae virginis]* ex Codd. Vulgo omittitur v. *Virginiae*. — 10. *peteret - - occidit]* ex Codd. Ante v. *necessitatem* excidisse vel *miseram* vel *extremam* vel *ultimam* vidit Drakenborchius. Vulgo: *peteret, necessitatem patri eius Virginio imposuit, rapto ex taberna proxima cultro ut filiam interimeret*.

stratae sunt. Item censores tunc primum creati sunt. 311
Ager Ardeatibus populi Romani iudicio ablatus, missis 312
in eum colonis, restitutus est. Cum fame populus Romanus laboraret, Sp. Maelius eques Romanus frumen- 314
tum populo sua impensa largitus est; et ob id factum conciliata sibi plebe regnum affectans a C. Servilio Ahala magistro equitum, iussu L. Quintii Cincinnati dictatoris, occisus est; L. Minucius index bove aurata 315
donatus est. Legatis Romanis a Fidenatibus occisis, 316
quoniam ob rem publicam occubuerant, statuae in Rostris positae sunt. Cossus Cornelius tribunus militum 318
occiso Tolumnio rege Veientium opima spolia secunda rettulit. Mam. Aemilius dictator (II.) censurae honore, qui antea per quinquennium gerebatur, anni et sex men- 320
sium spatio finito ob eam rem a censoribus notatus est. Fidenae in potestatem redactae, eoque coloni missi sunt; quibus occisis Fidenates cum defecissent, a Mam. Aemilio dictatore victi sunt, et Fidenae captae. Coniuratio 328
servorum oppressa est. Postumius tribunus militum 340
propter crudelitatem ab exercitu occisus est. Stipen- 348
dium ex aerario tum primum militibus datum est. Res praeterea gestas adversus Volscos et Fidenates et Faliscos continet.

Liber V.

In obsidione Veiorum hibernacula militibus facta 351
sunt. Ea res cum esset nova, indignationem tribunorum plebis movit, querentium non dari plebi nec per hiemem militiae requiem. Equites tum primum equis suis merere coeperunt. Cum inundatio ex lacu Albano 356
facta esset, vates, qui eam rem interpretaretur, de hostibus captus est. Furius Camillus dictator decem annos obsessos Veios cepit, simulacrum Iunonis Romam 358

transtulit, decimam partem praedae Delphos Apollini
misit. Idem tribunus militum, cum Faliscos obsideret,
proditos hostium filios parentibus remisit; statimque
360 deditione facta Faliscorum victoriam iustitia consecu-
tus est. Cum alter ex censoribus C. Iulius decessisset,
361 in locum eius P. Cornelius suffectus est; nec id po-
stea factum est, quoniam eo lustro a Gallis Roma capta
363 est. Furius Camillus, cum ei dies a L. Appuleio tri-
buno plebis dicta esset, in exsilium abiit. Cum Seno-
nes Galli Clusium obsiderent, et legati a senatu missi
ad componendam inter eos et Clusinos pacem pugnan-
tes contra Gallos in acie Clusinorum stetissent, hoc
facto eorum concitati Senones urbem infesto exercitu
364 petierunt, fusisque ad Alliam flumen Romanis cepere
urbem praeter Capitolium, in quod se iuventus contu-
lerat; maiores natu cum insignibus honorum quos quis-
que gesserat in vestibulis aedium sedentes occiderunt;
et cum per aversam partem Capitolii iam in summum
evasissent, proditi clangore anserum M. Manlii prae-
cipue opera deiecti sunt. Coactis deinde propter famem
Romanis eo descendere, ut mille pondo auri darent et
hoc pretio finem obsidionis emerent, Furius Camillus
dictator absens creatus inter pendendum aurum cum
exercitu venit, et Gallos post sextum mensem urbe
expulit ceciditque. Aedes Aio Locutio facta, quo loco
ante urbem captam vox audita erat «adventare Gal-
los.» Dictum est ad Veios migrandum esse propter
incensam et dirutam urbem; quod consilium Camillo
auctore discussum est. Movit populum vocis quoque
omen ex centurione auditae, qui cum in forum venis-

21. eo, quod abest a libris, inserui auctore Gronovio.

set, manipulariis suis dixerat «Sta, miles; hic optime manebimus.»

Liber VI.

**Res advorsus Volscos et Aequos et Praenestinos 365
prospere gestas continet. Quattuor tribus additae sunt, 367
Stellatina, Sabatina, Tromentina, Arniensis. M. Man- 370
lius, qui Capitolium a Gallis defenderat, cum obstrictos aere alieno liberaret, nexos exsolveret, crimine affectati regni damnatus de saxo [Tarpeio] deiectus est; in cuius notam senatus consultum factum est, «ne cui de Manlia gente Marco cognomen esset.» C. Lici- 378
nius et L. Sextius tribuni plebis legem promulgarunt, «ut consules etiam ex plebe fierent,» qui ex patribus creabantur; eamque legem cum magna contentione, repugnantibus patribus, cum iidem tribuni plebis per quinquennium soli magistratus fuissent, pertulerunt; et 379
primus ex plebe consul L. Sextius creatus est. Lata 383
est et altera lex, «ne cui plus quingentis iugeribus agri liceret possidere.»**

Liber VII.

**Duo novi magistratus adiecti sunt, praetura et cu- 387
rulis aedilitas. Pestilentia civitas laboravit, eamque 389
insignem fecit mors Furii Camilli; cuius remedium et finis cum per novas religiones quaereretur, ludi scenici 390
tunc primum facti sunt. Cum dies L. Manlio dicta 391
esset a M. Pomponio tribuno plebis propter delectum acerbe actum et T. Manlium filium rus relegatum sine ullo crimine, adolescens ipse, cuius relegatio patri obiiciebatur, venit in cubiculum tribuni, strictoque gladio coëgit eum in verba sua iurare non perseveratu-**

rum se in accusatione. Cum telluris hiatu tota ad ul-
timum territa patria foret, tunc omnia pretiosa missa
sunt in praealtam voraginem urbis Romanae. In eam
392 Curtius armatus, sedens equo, se praecipitavit, eaque
393 expleta est. T. Manlius adolescens, qui patrem a tri-
bunicia vexatione vindicaverat, contra Gallum provo-
cantem aliquem ex militibus Romanis in singulare cer-
tamen descendit, eique occiso torquem aureum detraxit,
quem ipse postea tulit et ex eo Torquatus est nuncu-
396 patus. Duae tribus additae, Pomptina et Publilia. Lici-
nius Stolo lege ab ipso lata damnatus est, quod plus
405 quingentis iugeribus agri possideret. M. Valerius tri-
bunus militum Gallum, a quo provocatus erat, insi-
dente galeae corvo et unguibus rostroque hostem infe-
stante, occidit, et ex eo Corvi nomen accepit; consul-
que proximo anno, cum annos viginti tres haberet, ob
406 virtutem creatus est. Amicitia cum Karthaginiensibus
411 iuncta. Campani, cum urgerentur a Samnitibus bello,
auxilio adversus eos a senatu petito, cum id non im-
petrarent, urbem atque agros populo Romano dedide-
runt; ob quam causam ea quae populi Romani facta
essent, defendi bello adversus Samnites placuit. Cum
ab A. Cornelio consule exercitus in iniquum locum
deductus in magno discrimine esset, P. Decii Muris tri-
buni militum opera servatus est, qui occupato colle
super id iugum, in quo Samnites consederant, occasio-
nem consuli in aequiorem locum evadendi dedit, ipse
412 ab hostibus circumsessus erupit. Cum milites Romani,
qui Capuae in praesidio erant relicti, de ea occupanda
urbe conspirassent, et detecto consilio metu supplicii
a populo Romano defecissent, per M. Valerium Cor-
vum dictatorem, qui consilio suo eos a furore revoca-
verat, patriae restituti sunt. Res praeterea contra

Hernicos et Gallos et Tiburtes et Privernates et Tarquinienses et Samnites et Volscos prospere gestas continet.

Liber VIII.

Latini cum Campanis defecere, et missis legatis ad 414
senatum condicionem tulerunt, ut si pacem habere
vellent alterum ex Latinis consulem facerent. Qua legatione perlata praetor eorum Annius de Capitolio ita
lapsus est, ut exanimaretur. T. Manlius consul filium,
quod contra edictum adversus Latinos quamvis prospere pugnasset, securi percussit. Laborantibus in acie
Romanis, P. Decius tunc consul cum Manlio devovit
se pro exercitu; et concitato equo cum in medios hostes se intulisset, interfectus morte sua Romanis victoriam restituit. Latini in deditionem venerunt. T. Manlio in urbem reverso nemo ex iuventute obviam processit. Minucia virgo Vestalis incesti damnata est.
Ausonibus victis, in oppidum ex iis captum Cales colo- 420
nia deducta est. Item Fregellae colonia deductae sunt.
Veneficium complurium matronarum deprehensum est; 423
ex quibus plurimae statim epotis medicaminibus perierunt. Lex de veneficio tunc primum constituta est.
Privernatibus, cum rebellassent, victis civitas data est. 425
Palaepolitani bello et obsidione victi in deditionem ve- 427
nerunt. Q. Publilio, qui eos obsederat, primo et impe- 428
rium prolatum et pro consule decretus triumphus.
Plebs nexu liberata est propter L. Papirii creditoris
libidinem, qui C. Publilio debitori suo stuprum inferre
voluerat. Cum L. Papirius dictator reversus in urbem 429
ab exercitu esset propter auspicia repetenda, Q. Fabius
magister equitum occasione rei bene gerendae invitatus contra dictum eius prospere adversus Samnites

pugnavit. Ob eam causam cum dictator de magistro equitum supplicium sumpturus videretur, Fabius Romam profugit; et cum causa parum proficeret, populi precibus donatus est. Res praeterea contra Samnites prospere gestas continet.

Liber IX.

433 T. Veturius, Sp. Postumius consules apud Caudinas
Furcas deducto in locum artum exercitu, cum nulla
spes evadendi esset, foedere cum Samnitibus facto et
sexcentis equitibus Romanis obsidibus datis ita exerci-
tum abduxerunt, ut omnes sub iugum mitterentur. Iidem-
que auctore Sp. Postumio consule, qui in senatu sua-
serat, ut eorum deditione, quorum culpa tam deforme
foedus ictum erat, publica fides liberaretur, cum duo-
bus tribunis plebis et omnibus qui foedus spoponderant,
dediti Samnitibus non sunt recepti. Nec multo post,
fusis a Papirio Cursore Samnitibus et sub iugum mis-
sis, receptisque sexcentis equitibus Romanis, qui obsi-
436 des dati erant, pudor prioris flagitii abolitus est. Tri-
441 bus duae adiectae sunt, Ufentina et Falerina. Suessa
442 et Pontiae coloniae deductae sunt. Ap. Claudius cen-
sor aquam perduxit, viam stravit quae Appia vocata
est, libertinorum filios in senatum legit. Ideoque, quo-
niam is ordo videbatur inquinatus indignis, sequentis
anni consules in senatu legendo observaverunt, quem-
admodum ante per proximos censores observatum fue-
443 rat. Res praeterea contra Apulos, Etruscos, Umbros,
Marsos, Pelignos, Aequos et Samnites, quibus foedus
450 erat restitutum, prospere gestas continet. Cn. Flavius
scriba, libertino patre natus, aedilis curulis fuit per
forensem factionem creatus; quae cum comitia et cam-

pum turbaret et in iis propter nimias vires dominaretur, a Q. Fabio censore in quattuor tribus redacta est, quas urbanas appellavit; eaque res Fabio Maximo nomen dedit. In hoc libro mentionem habet Alexandri magni, qui temporibus his fuit; et aestimatis populi Romani viribus quae tunc erant, colligit, si Alexander in Italiam traiecisset, non tam facilem ei victoriam de populo Romano fore quam de iis gentibus quas ad Orientem imperio suo subiecerat.

Liber X.

Coloniae deductae sunt Sora et Alba et Carseoli. 451
Marsi in deditionem accepti sunt. Collegium augurum 454
ampliatum est, ut essent novem, cum antea quaterni
fuissent. Lex de provocatione ad populum a Valerio
consule tunc tertium lata est. Duae tribus adiectae 455
sunt, Aniensis et Terentina. Samnitibus bellum indictum, et adversus eos saepe prospere pugnatum est.
Cum adversus Etruscos, Umbros, Samnites, Gallos P.
Decio et Q. Fabio ducibus pugnaretur, Romanusque
exercitus in magno esset discrimine, P. Decius secutus 459
exemplum patris devovit se pro exercitu, et morte sua
victoriam eius pugnae populo Romano dedit. Papirius 461
Cursor Samnitium exercitum, qui iure iurando obstrictus, quo maiore constantia virtutis pugnaret, in aciem
descenderat, fudit. Census actus est, lustrum condi- 460
tum: censa sunt civium capita ducenta sexaginta duo milia et trecenta viginti duo.

Liber XI.

Cum Fabius Gurges consul male adversus Samnites 462
pugnasset et senatus de removendo eo ab exercitu age-

ret, Fabius Maximus pater deprecatus hanc filii igno-
miniam eo maxime senatum movit, quod iturum se filio
legatum pollicitus est, idque praestitit. Eius consiliis
et opera filius consul adiutus caesis Samnitibus trium-
phavit, C. Pontium imperatorem Samnitium ductum in
triumpho securi percussit. Cum civitas pestilentia la-
463 boraret, missi legati, ut Aesculapii signum Romam ab
Epidauro transferrent, anguem qui se in navem eorum
contulerat, in quo ipsum numen esse constabat, depor-
taverunt; eoque in insulam Tiberis egresso, eodem loco
aedes Aesculapio consecrata est. L. Postumius consu-
laris quoniam, cum exercitui praeesset, opera militum
464 in agro suo usus erat, damnatus est. Cum Samnitibus
pacem petentibus foedus quarto renovatum est. Curius
Dentatus consul Samnitibus caesis, et Sabinis, qui re-
bellaverant, victis et in deditionem acceptis, bis in eo-
dem magistratu triumphavit. Coloniae deductae sunt
465 Castrum, Sena, Hadria. Triumviri capitales tunc pri-
mum creati sunt. Censu acto lustrum conditum est:
censa sunt civium capita ducenta septuaginta duo mi-
468 lia. Plebs propter aes alienum post graves et longas
seditiones ad ultimum secessit in Ianiculum; unde a
Q. Hortensio dictatore deducta est, isque in ipso ma-
gistratu decessit. Res praeterea contra Vulsinienses
gestas continet; item adversus Lucanos, contra quos
auxilium Thurinis ferre placuerat.

Liber XII.

471 Cum legati Romanorum a Gallis Senonibus inter-
fecti essent, bello ob id Gallis indicto L. Caecilius
472 praetor cum legionibus ab iis caesus est. Cum a Ta-
rentinis classis Romana direpta esset, duumviro qui

praeerat classi occiso, legati ad eos a senatu, ut de
iis iniuriis quererentur, missi pulsati sunt. Ob id bel-
lum iis indictum est. Samnites defecerunt. Adversus
eos et Lucanos et Bruttios et Etruscos aliquot proeliis
a compluribus ducibus bene pugnatum est. Pyrrhus 473
Epirotarum rex, ut auxilium ferret Tarentinis, in Ita-
liam venit. Cum in praesidium Rheginorum legio Cam-
pana cum praefecto Decio Iubellio missa esset, occisis
Rheginis Rhegium occupavit.

Liber XIII.

Valerius Laevinus consul parum prospere adversus 474
Pyrrhum pugnavit, elephantorum maxime inusitata facie
territis militibus. Post id proelium cum corpora Ro-
manorum, qui in acie ceciderant, Pyrrhus inspiceret,
omnia versa in hostem invenit, populabundusque ad ur-
bem Romam processit. C. Fabricius missus ad eum a
senatu, ut de redimendis captivis ageret, frustra, ut
patriam desereret, a rege tentatus est. Captivi sine
pretio remissi sunt. Cineas legatus a Pyrrho ad sena-
tum missus petiit, ut componendae pacis causa rex in
urbem reciperetur; de qua re cum ad frequentiorem
senatum referri placuisset, Ap. Claudius, qui propter
valetudinem oculorum iam diu consiliis publicis se abs-
tinuerat, venit in curiam et sententia sua tenuit, ut id
Pyrrho negaretur. Cn. Domitius censor primus ex plebe
lustrum condidit: censa sunt civium capita ducenta se-
ptuaginta octo milia ducenta viginti duo. Iterum adver- 475
sus Pyrrhum dubio eventu pugnatum est. Cum Kar- 476
thaginiensibus quartum foedus renovatum est. Cum C.
Fabricio consuli is, qui ad eum a Pyrrho transfugerat,
polliceretur se regi venenum daturum, cum indicio ad

regem remissus est. Res praeterea contra Etruscos, Lucanos, Bruttios et Samnites prospere gestas continet.

Liber XIV.

Pyrrhus in Siciliam traiecit. Cum inter alia pro-
digia fulmine deiectum esset in Capitolio Iovis signum,
caput eius per haruspices inventum est. Curius Den-
tatus, cum delectum haberet, eius qui citatus non re-
478 sponderat bona primus vendidit; Pyrrhum iterum ex
479 Sicilia in Italiam reversum vicit et Italia expulit. Fa-
bricius censor P. Cornelium Rufinum consularem senatu
movit, quod is decem pondo argenti facti haberet. Lu-
stro a censoribus condito censa sunt capita civium du-
centa septuaginta unum milia, ducenta viginti quat-
481 tuor. Cum Ptolemaeo Aegypti rege societas iuncta est.
Sestilia virgo Vestalis damnata incesti viva defossa
est. Coloniae deductae sunt Posidonia et Cosa. Kar-
thaginiensium classis auxilio Tarentinis venit, quo facto
ab iis foedus violatum est. Res praeterea contra Lu-
482 canos, Samnites et Bruttios feliciter gestas et Pyrrhi
regis mortem continet.

Liber XV.

483 Victis Tarentinis pax et libertas data est. Legio
Campana, quae Rhegium occupaverat, obsessa dedi-
tione facta securi percussa est. Cum legatos Apollo-
niatium ad senatum missos quidam iuvenes pulsassent,
dediti sunt Apolloniatibus. Picentibus victis pax data
486 est. Coloniae deductae Ariminum in Piceno, Beneven-
485 tum in Samnio. Tunc primum populus Romanus ar-
488 gento uti coepit. Umbri et Sallentini victi in deditio-
nem accepti sunt. Quaestorum numerus ampliatus est,
ut essent octo.

Liber XVI.

Origo Karthaginiensium et primordia urbis eorum
referuntur; contra quos et Hieronem regem Syracusa- 490
norum auxilium Mamertinis ferendum censuit senatus,
cum de ea re inter suadentes, ut id fieret, dissuaden-
tesque contentio fuisset. Transgressis tum primum
mare equitibus Romanis, adversus Hieronem saepius
bene pugnatum. Petenti pax data est. Lustrum a cen- 491
soribus conditum est: censa sunt civium capita ducenta
octoginta duo milia ducenta triginta quattuor. D. Iu- 490
nius Brutus munus gladiatorium in honorem defuncti
patris edidit primus. Colonia Aesernia deducta est.
Res praeterea contra Poenos et Vulsinios prospere
gestas continet.

Liber XVII.

Cn. Cornelius consul a classe Punica circumventus 494
et per fraudem velut in colloquium evocatus captus est.
C. Duilius consul adversus classem Poenorum prospere
pugnavit, primusque omnium Romanorum ducum nava-
lis victoriae duxit triumphum, ob quam causam ei per-
petuus honos habitus est, ut revertenti a coena, tibi-
cine canente, funale praeferretur. L. Cornelius con- 495
sul in Sardinia et Corsica contra Sardos et Corsos et
Hannonem Poenorum ducem feliciter pugnavit. Atilius 496
Calatinus consul, cum in locum iniquum a Poenis cir-
cumsessum temere duxisset exercitum, M. Calpurnii
tribuni militum virtute et opera evasit, qui cum trecen-
tis militibus eruptione facta hostes in se converterat.
Hannibal dux Poenorum victa classe cui praefuerat, a

---

26. *M. Calpurnii]* Immo *M. Cornelii Flammae.*

498 militibus suis in crucem sublatus est. Atilius Regulus
consul victis navali proelio Poenis in Africam traiecit.

Liber XVIII.

Atilius Regulus in Africa serpentem portentosae
magnitudinis cum magna militum clade óccidit, et cum
aliquot proeliis bene adversus Karthaginienses pugnas-
set, successorque ei a senatu prospere bellum gerenti
non mitteretur, id ipsum per litteras ad senatum mis-
sas questus est, in quibus inter causas petendi succes-
soris erat quod agellus eius a mercenariis desertus es-
set. Quaerente deinde fortuna, ut magnum utriusque
casus exemplum in Regulo proderetur, arcessito a Kar-
thaginiensibus Xanthippo Lacedaemoniorum duce victus
499 proelio et captus est. Res deinde a ducibus Romanis
omnibus terra marique prospere gestas deformaverunt
502 naufragia classium. Ti. Coruncanius primus ex plebe
pontifex maximus creatus est. P. Sempronius Sophus,
M'. Valerius Maximus censores cum senatum legerent,
tredecim senatu moverunt; lustrum condiderunt, quo
censa sunt civium capita ducenta nonaginta septem
504 milia septingenta nonaginta septem. Regulus missus a
Karthaginiensibus ad senatum, ut de pace, et si eam
non posset impetrare, de captivis commutandis ageret,
et iure iurando adstrictus rediturum se Karthaginem,
si commutari captivos non placuisset, utrumque negandi
auctor senatui fuit, et cum fide custodita reversus es-
set, supplicio a Karthaginiensibus de eo sumpto periit.

Liber XIX.

Caecilius Metellus rebus adversus Poenos prospere
gestis speciosum egit triumphum, tredecim ducibus ho-

stium et centum viginti elephantis in eo ductis. Clau- 505
dius Pulcher consul contra auspicia profectus, iussis
mergi pullis qui cibari nolebant, infeliciter adversus
Karthaginienses classe pugnavit; et revocatus a senatu
iussusque dictatorem dicere Claudium Gliciam dixit,
sortis ultimae hominem, qui coactus abdicare se magi-
stratu postea ludos praetextatus spectavit. Atilius Ca-
latinus primus dictator extra Italiam exercitum duxit.
Cum Poenis captivorum commutatio facta est. Coloniae
deductae sunt Fregenae, in agro Sallentino Brundu-
sium. Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt 507
civium capita ducenta quinquaginta unum milia du-
centa viginti duo. Claudia soror P. Claudii, qui con- 508
temptis auspiciis male pugnaverat, a ludis revertens
cum turba premeretur, dixit «Utinam frater meus vive-
ret iterumque classem duceret.» Ob eam causam multa
ei dicta est. Duo praetores tum primum creati sunt. 512
Caecilius Metellus pontifex maximus A. Postumium con-
sulem, quoniam idem et flamen Martialis erat, cum is
ad bellum gerendum proficisci vellet, in urbe tenuit
nec passus est a sacris recedere. Rebus adversus Poe-
nos a pluribus ducibus prospere gestis, summam victo-
riae C. Lutatius consul victa ad Aegates insulas classe
Poenorum imposuit. Petentibus Karthaginiensibus pax 513
data est. Cum templum Vestae arderet, Caecilius Me-
tellus pontifex maximus ex incendio sacra rapuit. Duae
tribus adiectae sunt, Velina et Quirina. Falisci cum
rebellassent, sexto die perdomiti in deditionem venerunt.

Liber XX.

Spoletium colonia deducta est. Adversus Ligures 514
tunc primum exercitus promotus est. Sardi et Corsi cum
rebellassent, subacti sunt. Tuccia virgo Vestalis incesti

524 damnata est. Bellum Illyriis propter unum ex legatis,
qui ad eos missi erant, occisum indictum est; subacti-
527 que in deditionem venerunt. Praetorum numerus am-
pliatus est, ut essent quattuor. Galli Transalpini, qui
in Italiam irruperant, caesi sunt. Eo bello populus
Romanus sui Latinique nominis trecenta milia arma-
torum habuisse dicitur. Exercitibus Romanis tunc pri-
mum trans Padum ductis Galli Insubres aliquot proe-
532 liis fusi in deditionem venerunt. M. Claudius Marcel-
lus consul occiso Insubrium Gallorum duce Virdomaro
opima spolia rettulit. Istri subacti sunt. Item Illyrii,
cum rebellassent, domiti in deditionem venerunt. Lu-
strum a censoribus conditum est, quo censa sunt civium
534 capita ducenta septuaginta milia ducenta tredecim. Li-
bertini in quattuor tribus redacti sunt, cum antea dispersi
per omnes fuissent, Esquilinam, Palatinam, Suburranam,
Collinam; C. Flaminius censor viam Flaminiam muni-
535 vit et circum Flaminium exstruxit. Coloniae deductae
in agro de Gallis capto, Placentia et Cremona.

Liber XXI.

In Italiam belli Punici secundi ortus narratur, et
Hannibalis Poenorum ducis contra foedus per Iberum
536 amnem transitus, a quo Saguntum, sociorum populi
Romani civitas, obsessa octavo mense capta est. De
quibus iniuriis missi legati ad Karthaginienses qui que-
rerentur. Cum satisfacere nollent, bellum iis indictum
est. Hannibal superato Pyrenaeo saltu per Gallias,
fusis Volcis qui obsistere conati erant, ad Alpes venit,
et laborioso per eas transitu, cum montanos quoque
Gallos obvios aliquot proeliis reppulisset, descendit in
536 Italiam, et ad Ticinum amnem Romanos equestri proe-
lio fudit, in quo vulneratum P. Cornelium Scipionem

protexit filius, qui Africani postea nomen accepit. Iterumque exercitu Romano ad flumen Trebiam fuso Hannibal 536 Apenninum quoque, per magnam militum vexationem propter vim tempestatum, transiit. Cn. Cornelius Scipio in Hispania contra Poenos prospere pugnavit, duce hostium Magone capto.

Liber XXII.

Hannibal per continuas vigilias in paludibus oculo amisso venit in Etruriam; per quas paludes quatriduo et tribus noctibus sine ulla requie iter fecit. C. Flaminius consul, homo temerarius, contra auspicia profectus, signis militaribus effossis quae tolli non poterant, et ab equo quem conscenderat per caput devolutus, insidiis ab Hannibale circumventus ad Trasimenum 537 lacum cum exercitu caesus est. Sex milia quae eruperant, fide ab Maharbale data, perfidia Hannibalis vincta sunt. Cum ad nuntium cladis Romae luctus esset, duae matres ex insperato receptis filiis gaudio mortuae *sunt*. Ob hanc cladem ex Sibyllinis libris ver sacrum votum. Cum deinde Q. Fabius Maximus dictator adversus Hannibalem missus nollet acie cum eo confligere, ne contra ferocem tot victoriis hostem territum adversis proeliis militem pugnae committeret, et opponendo se tantummodo conatus Hannibalis impediret, M. Minucius magister equitum, ferox et temerarius, criminando dictatorem tamquam segnem et timidum, effecit, ut populi iussu aequaretur ei cum dictatore imperium; divisoque exercitu, cum iniquo loco conflixisset et in maximo discrimine legiones eius essent, superveniente cum exercitu Fabio Maximo discrimine liberatus est. Quo beneficio victus castra cum eo iun-

6. *Magone]* Corrigendum *Hannone* ex Livii 21, 60.

xit, et patrem eum salutavit, idemque facere milites iussit. Hannibal vastata Campania, inter Casilinum oppidum et Calliculam montem a Fabio clausus, sarmentis ad cornua boum alligatis et incensis praesidium Romanorum, quod Calliculam insidebat, fugavit, et sic transgressus est saltum. Idemque Q. Fabii Maximi dictatoris, cum circumposita ureret, agro pepercit, ut illum tamquam proditorem suspectum faceret. Aemilio deinde Paullo et Terentio Varrone consulibus et duci-
538 bus cum maxima clade adversus Hannibalem ad Cannas pugnatum est; caesaque eo proelio Romanorum quadraginta quinque milia, cum Paullo consule et senatoribus octoginta, consularibus atque praetoriis aut aediliciis triginta. Post quam cladem cum a nobilibus adolescentibus propter desperationem consilium de relinquenda Italia iniretur, P. Cornelius Scipio tribunus militum, qui postea Africanus nuncupatus est, stricto super capita deliberantium ferro iuravit «se pro hoste habiturum eum, qui in verba sua non iurasset,» effecitque ut omnes non relictum iri a se Italiam iure iurando adstringerentur. Praeterea trepidationem urbis et luctum et res in Hispania meliore eventu gestas continet. Opimia et Floronia Vestales virgines incesti damnatae sunt. Captivi, cum potestas esset redimendi, redempti non sunt. Varroni obviam itum est, et gratiae actae quod de re publica non desperasset.

Liber XXIII.

Campani ad Hannibalem defecerunt. Nuntius Cannensis victoriae Mago Karthaginem missus anulos aureos a digitis occisorum Romanorum detractos in vestibulo curiae effudit, quos excessisse modii mensuram traditur. Post quem nuntium Hanno, vir ex Poenis no-

bilissimus, suadebat senatui Karthaginiensium ut pacem a populo Romano peterent; nec tenuit, obstrepente Barcina factione. Claudius Marcellus praetor ad Nolam, eruptione adversus Hannibalem ex oppido facta, prospere pugnavit. Exercitus Hannibalis per hiberna Capuae ita luxuriatus est, ut corporum viribus atque animorum enervaretur. Casilinum a Poenis obsessum ita fame vexatum est, ut lora et pelles scutis detractas, item mures essent, et nucibus per Vulturnum amnem a Romanis missis vixerint. Senatus ex equestri ordine hominibus centum nonaginta septem suppletus est. L. Postumius praetor a Gallis cum exercitu caesus est. Cn. et P. Scipiones in Hispania Hasdrubalem vicerunt 539
et Hispaniam suam fecerunt. Reliquiae Cannensis exercitus in Siciliam relegatae sunt, ne recederent inde nisi finito bello. Inter Philippum Macedonum regem et Hannibalem societas iuncta est. Sempronius Gracchus consul Campanos cecidit. Praeterea in Sardinia feliciter a T. Manlio praetore adversus Poenos Sardosque res gestas continet; a quo Hasdrubal dux et Mago et Hanno capti. Claudius Marcellus praetor Hannibalis exercitum ad Nolam proelio fudit et vicit, primusque tot cladibus fessis Romanis meliorem spem belli dedit.

Liber XXIV.

Hieronymus Syracusanorum rex, cuius avus Hiero amicus populi Romani fuerat, ad Karthaginienses defecit, et propter crudelitatem superbiamque a suis interfectus est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul pro-

---

21. *Marcellus praetor]* Corrige *Marcellus consul* ex Livii 23, c. 31. et 44.

spere adversus Poenos et Hannonem ducem ad Beneventum pugnavit, servorum maxime opera, quos libe-
540 ros esse iussit. Claudius Marcellus consul in Sicilia, quae prope tota ad Poenos defecerat, Syracusas obsedit. Philippo Macedonum regi bellum indictum est; qui ad Apolloniam nocturno proelio oppressus fugatusque in Macedoniam cum prope inermi exercitu perfugit. Ad id bellum gerendum Valerius praetor mis-
541 sus est. Res praeterea in Hispania a P. et Cn. Scipionibus adversus Karthaginienses gestas continet. Syphax rex Numidarnm in amicitiam adscitus, et a Masinissa rege Massylorum pro Karthaginiensibus pugnante victus, in Maurusios cum magna manu transiit contra Gades, ubi angusto freto Africa et Hispania dirimuntur. Celtiberi quoque in amicitiam recepti sunt, quorum auxiliis adscitis tunc primum mercenarium militem Romana castra habuerunt.

Liber XXV.

P. Cornelius Scipio, postea Africanus, ante annos
542 aedilis factus est. Hannibal urbem Tarentum praeter arcem, in quam praesidium Romanorum fugerat, per Tarentinos iuvenes, qui se noctu venatum ire simulaverant, cepit. Ludi Apollinares ex Marcii carminibus, quibus Cannensis clades praedicta fuerat, instituti sunt. A Q. Fulvio et Ap. Claudio consulibus adversus Hannonem Poenorum ducem prospere pugnatum est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul ab hospite suo Lucano in insidias deductus, a Magone interfectus est. Centenius Penula, qui centurio militaverat, cum petisset a senatu, ut sibi exercitus daretur, pollicitusque esset, si hoc impetrasset, de Hannibale victoriam, octo milibus acceptis, militum dux factus conflixit acie cum

Hannibale, et cum exercitu caesus est. Cn. Fulvius praetor male adversus Hannibalem pugnavit; in quo proelio hominum sexdecim milia ceciderunt, ipse cum equitibus ducentis effugit. Capua obsessa est a Q. Fulvio et Ap. Claudio consulibus. Claudius Marcellus Sy- 542 racusas expugnavit anno tertio, et ingentem se virum gessit. In eo tumultu urbis captae Archimedes, intentus formis quas in pulvere descripserat, interfectus est. P. et Cn. Scipiones in Hispania tot tantarumque rerum feliciter gestarum tristem exitum tulerunt, prope cum totis exercitibus caesi anno octavo quam in Hispaniam iverant. Amissaque eius provinciae possessio foret, nisi L. Marcii equitis Romani virtute et industria contractis exercituum reliquiis, eiusdem hortatu bina castra hostium expugnata essent. Ad triginta septem milia caesa, ad mille octingentos triginta capti, praeda ingens parta. Dux Marcius appellatus est.

Liber XXVI.

Hannibal ad tertium ab urbe Roma lapidem super Anienem castra posuit; ipse vero cum duobus milibus equitum usque ad ipsam Capenam portam, ut urbis situm exploraret, obequitavit. Et cum per triduum in aciem utrinque exercitus omnis descendisset, certamen tempestas diremit: nam cum in castra rediissent, statim serenitas erat. Capua capta est a Q. Fulvio et Ap. Clau- 543 dio consulibus. Principes Campanorum veneno sibi consciverunt mortem. Cum senatus Campanorum deligatus esset ad palos, ut securi feriretur, litteras a senatu missas Q. Fulvius consul, quibus iubebatur parcere, antequam legeret, in sinu posuit, et lege agi iussit, et supplicium peregit. Cum in comitiis apud populum quaereretur cui mandaretur Hispaniarum imperium, nullo id

volente suscipere P. Scipio P. filius, qui in Hispania ceciderat, professus est se iturum, et suffragio populi consensuque omnium missus Novam Karthaginem uno die expugnavit, cum ageret vicesimum quartum annum, videreturque divina stirpe creatus, quoniam et ipse, postquam togam acceperat, quotidie in Capitolio erat, et in cubiculo matris eius anguis saepenumero videbatur. Res praeterea in Sicilia gestas continet, et amicitiam cum Aetolis iunctam, bellumque gestum adversus Acarnanas et Philippum Macedoniae regem.

Liber XXVII.

544 Cn. Fulvius proconsul cum exercitu ab Hannibale
ad Herdoneam caesus est. Meliore eventu a Claudio
Marcello consule adversus eundem ad Numistronem
pugnatum est. Inde Hannibal noctu recessit. Marcel-
lus insecutus est, et subinde cedentem pressit, donec
confligeret. Priore pugna Hannibal superior fuit, Mar-
545 cellus insequenti. Fabius Maximus pater consul Ta-
rentinos per proditionem recepit. In Hispania ad Bae-
culam Scipio cum Hasdrubale Hamilcaris conflixit et
vicit; inter alia captum puerum regalem eximiae for-
546 mae ad avunculum Masinissam cum donis dimisit. Clau-
dius Marcellus, T. Quintius Crispinus consules, specu-
landi causa progressi e castris, insidiis ab Hannibale
circumventi sunt; Marcellus occisus fuit, Crispinus fu-
git. Res praeterea a P. Sulpicio praetore adversus
Philippum et Achaeos gestas continet. Lustrum a cen-
soribus conditum est: censa sunt civium capita centum
triginta septem milia centum et octo, ex quo numero
apparuit quantum hominum tot proeliorum adversa for-
547 tuna populo Romano abstulisset. Hasdrubal, qui cum
exercitu novo transcenderat Alpes, ut se Hannibali

coniungeret, cum milibus hominum quinquaginta sex caesus est, M. Livii consulis ductu, sed non minore opera Claudii Neronis consulis, qui cum Hannibali oppositus esset, relictis castris ita ut hostem falleret, cum delecta manu profectus Hasdrubalem circumvenit.

Liber XXVIII.

Res in Hispania prospere gestae a Silano et ab Scipionis legato L. Scipione fratre adversus Poenos, a Sulpicio proconsule et ab Attalo rege Asiae adversus Philippum regem Macedonum pro Aetolis referuntur. Cum M. Livio et Claudio Neroni consulibus triumphus decretus esset, Livius, qui in provincia sua rem gesserat, quadrigis invectus est, Nero, qui in collegae provinciam, ut victoriam eius adiuvaret, venerat, equo est secutus, et in hoc habitu plus gloriae reverentiaeque habuit: nam et plus in bello quam collega fecerat. Ignis in aede Vestae negligentia virginis, quae non custodierat, extinctus est; virgo caesa est flagro. P. Scipio in Hispania cum Poenis debellavit quarto decimo anno eius belli, quinto post anno quam ierat; exclusisque in totum possessione eius hostibus Hispaniam recepit. Et a Tarracone in Africam ad Syphacem regem Masaesylorum duobus navigiis transvectus foedus iunxit. Hasdrubal Gisgonis ibi cum eo in eodem lecto accubuit. Munus gladiatorium in honorem patris patruique Karthagini Nova edidit, non ex gladiatoribus, sed ex iis qui aut in honorem ducis aut ex provoca-

---

7. *et ab Scipionis legato]* Roëllius: libri *Scipionis legato et ab.* — 19. *quarto decimo]* *tertio decimo* Crevierius. — 23. *Masaesylorum]* Delrius (e vestigiis Codd. *Massiliorum*), vulgo *Numidarum.*

tione in certamen descendebant; in quo reguli fratres de regno ferro contenderunt. Cum Astapa urbs ab Romanis oppugnaretur, oppidani liberos et coniuges rogo exstructo occiderunt, et se insuper praecipitaverunt. Ipse Scipio dum gravi morbo implicitus est, seditionem in parte exercitus motam confirmatus discussit, rebellantesque Hispaniae populos coëgit in deditionem venire. Et amicitia facta cum Masinissa rege Numidarum, qui illi auxilium, si in Africam traiecisset, pollicebatur, cum Gaditanis quoque post discessum inde Ma-
548 gonis, cui ex Karthagine scriptum erat, ut in Italiam
549 traiiceret, Romam reversus consulque creatus. Africam provinciam petenti, contradicente Q. Fabio Maximo, Sicilia data est, permissumque in Africam traiiceret, si ex re publica esse censeret. Mago Hamilcaris filius a minore Baliari insula, ubi hiemarat, in Italiam traiecit.

Liber XXIX.

Ex Sicilia C. Laelius in Africam a Scipione missus ingentem praedam reportavit, et mandata Masinissae Scipioni exposuit, conquerentis quod nondum exercitum in Africam traiecisset. Bellum in Hispania finitum victore Romano, quod Indibilis excitaverat; ipse in acie occisus, Mandonius exposcentibus Romanis a suis deditus est. Magoni, qui in Gallia et Liguribus erat, ex Africa et militum ampla manus missa, et pecuniae quibus auxilia conduceret, praeceptumque ut se Hannibali iungeret. Scipio a Syracusis in Bruttios traiecit, et Locros pulso Punico praesidio fugatoque Hannibale recepit. Pax cum Philippo facta est. Idaea mater deportata est Romam a Pessinunte oppido Phrygiae, carmine in libris Sibyllinis invento, «pelli Italia alienigenam ho-

stem posse, si mater Idaea deportata Romam esset.» Tradita autem est Romanis per Attalum regem Asiae. Lapis erat quem matrem deûm incolae dicebant. Excepit P. Scipio Nasica Cn. filius, eius qui in Hispaniae perierat, vir optimus a senatu iudicatus, adolescens nondum quaestorius, quoniam ita responsum iubebat, «ut numen id ab optimo viro reciperetur consecrareturque.» Locrenses legatos Romam miserunt, qui de impotentia Q. Pleminii legati quererentur, quod pecuniam Proserpinae abstulerat et liberos eorum ac coniuges stupraverat. Pleminius in catenis Romam perductus, in carcere mortuus est. Cum falsus rumor de P. Scipione proconsule, qui in Sicilia erat, in urbem perlatus esset, tamquam is luxuriaretur, missis ob hoc legatis a senatu, qui explorarent, an ea vera essent, purgatus infamia Scipio in Africam traiecit senatus per- 550
missu. Syphax accepta in matrimonium filia Hasdrubalis Gisgonis, amicitiae quam cum Scipione ipse iunxerat renuntiavit. Masinissa rex Massyliorum, dum pro Karthaginiensibus in Hispania militat, amisso patre Gala de regno exciderat. Quo per bellum saepe repetito, aliquot proeliis a Syphace rege Masaesylorum victus in totum privatus est; et cum ducentis equitibus exsul Scipioni se iunxit, et cum eo primo statim bello Hannonem Hamilcaris filium cum ampla manu interemit. Scipio adventu Hasdrubalis et Syphacis, qui prope cum centum milibus armatorum venerant, ab obsidione Uticae depulsus hiberna communivit. Sempronius consul in agro Crotoniensi prospere adversus Hannibalem pugnavit. Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt civium capita ducenta quattuordecim milia. Inter censores, M. Livium et Claudium Neronem, notabilis discordia fuit. Nam et Claudius Livio collegae

equum ademit, quod a populo damnatus actusque in exsilium fuerat, et Livius Claudio, quod falsum in se testimonium dixisset et quod non bona fide secum in gratiam redisset. Idem omnes tribus extra unam aerarias reliquit, quod et innocentem se damnassent et postea consulem censoremque fecissent.

Liber XXX.

551 In Africa Scipio Karthaginienses et eundem Syphacem Numidarum regem Hasdrubalemque pluribus proeliis vicit, adiuvante Masinissa, binaque hostium castra expugnavit, in quibus quadraginta milia hominum ferro ignique consumpta sunt. Syphacem per C. Laelium et Masinissam cepit. Masinissa Sophonisbam uxorem Syphacis, filiam Hasdrubalis, captam statim adamavit et nuptiis factis uxorem habuit. Castigatus a Scipione venenum ei misit, quo hausto illa decessit. Effectumque est multis Scipionis victoriis ut Karthaginienses, in desperationem acti, in auxilium publicae salutis Hannibalem ex Italia revocarent. Isque anno sexto decimo Italia decedens in Africam traiecit, tentavitque per colloquium pacem cum Scipione componere; et cum de
552 condicionibus pacis non convenisset, (ad Zamam) acie
553 victus est. Pax Karthaginiensibus data est petentibus. Hannibal Gisgonem pacem dissuadentem manu sua detraxit; excusata deinde temeritate facti ipse pacem suasit. Mago, qui bello in agro Insubrium cum Romanis conflixerat, vulneratus, dum in Africam per legatos revocatus revertitur, ex vulnere mortuus est. Masinissae regnum restitutum est. Reversus in urbem Scipio amplissimum nobilissimumque egit triumphum, quem Q. Terentius Culleo senator pileatus secutus est. Sci-

---

31. *pileatus]* locum ita plenius exhibet Cod. Boend.: *Quem Q. Te-*

pio Africanus incertum militari prius favore an populari aura ita cognominatus: primus certe hic imperator victae a se nomine gentis nobilitatus est.

Liber XXXI.

Belli adversus Philippum Macedoniae regem, quod 554 intermissum erat, repetiti causae referuntur hae. Tempore Initiorum duo iuvenes Acarnanes, qui non initiati erant, Athenas venerunt, et in sacrarium Cereris cum aliis popularibus suis intraverunt. Ob hoc, tamquam nefas summum commisissent, ab Atheniensibus caesi sunt. Acarnanes mortibus suorum commoti ad vindicandos illos auxilium a Philippo petierunt. Paucis mensibus post pacem Karthaginiensibus datam, quingentesimo quinquagesimo anno ab urbe condita, cum Atheniensium, qui obsidebantur a Philippo, legati auxilium a senatu petissent, et senatus id censuisset ferendum, plebe, quod tot bellorum continuus labor gravis erat, dissentiente, tenuit auctoritas patrum, ut sociae civitati ferri opem populus quoque iuberet. Bellum id P. Sulpicio consuli mandatum est, qui exercitu in Macedoniam ducto equestribus proeliis cum Philippo pro- 555 spere pugnavit. Abydeni a Philippo obsessi ad exemplum Saguntinorum suos seque occiderunt. L. Furius praetor Gallos Insubres rebellantes et Hamilcarem Poenum bellum in ea parte molientem acie vicit. Hamilcar eo bello occisus est, et milia hominum triginta sex. Praeterea expeditiones Philippi regis et Sulpicii consulis, expugnationesque urbium ab utroque factas conti-

---

rentius Culleo senator Romanus inter captivos a Karthaginiensibus Scipioni restitutus, pileatus triumphantem secutus est; omnique inde vita, ut dignum erat, libertatis auctorem coluit. Syphax Tibure obiit in ipso triumphi tempore. (ex Livii 30, 45.)

net: Sulpicius consul adiuvantibus rege Attalo et Rhodiis bellum gerebat. Triumphavit de Gallis L. Furius praetor.

Liber XXXII.

Complura prodigia ex diversis regionibus nuntiata
referuntur; inter quae, in Macedonia in puppi longae
556 navis lauream esse enatam. T. Quinctius Flamininus
consul adversus Philippum feliciter pugnavit in faucibus Epiri, fugatumque coëgit in regnum reverti. Ipse Thessaliam, quae est vicina Macedoniae, sociis Aetolis et Athamanibus, vexavit. L. Quinctius Flamininus consulis frater, Attalo rege et Rhodiis adiuvantibus, in Euboeam et maritimam oram traiectus Eretriam expugnavit. Achaei in amicitiam recepti sunt. Coniuratio servorum, facta de solvendis Karthaginiensium
557 obsidibus, oppressa est; duo milia necati sunt. Praetorum numerus ampliatus est, ut seni crearentur. Cornelius Cethegus consul Gallos Insubres proelio fudit. Cum Lacedaemoniis et tyranno eorum Nabide amicitia iuncta est. Praeterea expugnationes urbium in Macedonia referuntur.

Liber XXXIII.

T. Quinctius Flamininus proconsul cum Philippo
557 ad Cynoscephalas in Thessalia acie victo debellavit. L. Quinctius Flamininus, frater proconsulis, Acarnanes Leucade urbe, quod caput est Acarnanum, expugnata in deditionem accepit. C. Sempronius Tuditanus prae-

16. *duo milia necati sunt]* „Livius 32, 26. narrat L. Cornelium praetorem tantum de quingentis supplicium sumpsisse. Verum auctorem Epitomarum saepius alibi quoque a Livii narratione abire, viri docti observarunt." Drakenb.

tor a Celtiberis cum exercitu caesus est. Attalus a
Thebis ob subitam valetudinem Pergamum translatus
decessit. Pax petenti Philippo, Graeciae libertas data 558
est. L. Furius Purpureo et Claudius Marcellus con-
sules Boios et Insubres Gallos subegerunt. Marcellus
triumphavit. Hannibal frustra in Africa bellum moli-
tus, et ob hoc Romanis per epistolas adversae factio-
nis principum delatus, propter metum Romanorum, qui
legatos ad Karthaginiensium senatum de eo miserant,
profugus ad Antiochum regem Syriae se contulit, bel- 559
lum contra Romanos parantem.

Liber XXXIV.

Lex Oppia, quam C. Oppius tribunus plebis bello
Punico de finiendis matronarum cultibus tulerat, cum
magna contentione abrogata est, cum M. Porcius Cato
auctor fuisset, ne ea lex aboleretur. Is in Hispaniam
profectus bello, quod Emporiis orsus est, citeriorem
Hispaniam pacavit. T. Quinctius Flamininus bellum
adversus Lacedaemonios et tyrannum eorum Nabidem
prospere gestum, data iis pace qualem ipse voluit, libe-
ratisque Argis qui sub dicione tyranni erant, finivit.
Senatus tunc primum secretus a populo ludos specta-
vit: ut id fieret, Sex. Aelius Paetus et C. Cornelius
Cethegus censores intervenerunt cum indignatione ple-
bis. Coloniae pleraeque deductae sunt. M. Porcius
Cato de Hispania triumphavit. Res praeterea in Hi-
spania et adversus Boios et Insubres Gallos feliciter
gestae referuntur. T. Quinctius Flamininus, qui Phi- 560
lippum Macedonum regem et Nabidem Lacedaemonio-
rum tyrannum vicerat Graeciamque omnem liberave-
rat, ob hanc rerum gestarum multitudinem triduo tri-
umphavit. Legati Karthaginiensium nuntiaverunt Han-

nibalem, qui ad Antiochum confugerat, bellum cum eo moliri. Tentaverat autem Hannibal per Aristonem Tyrium, sine litteris Karthaginem missum, ad rebellandum Poenos concitare.

Liber XXXV.

561 P. Scipio Africanus legatus ad Antiochum Ephesi cum Hannibale, qui se Antiocho iunxerat, collocutus est, ut, si fieri posset, metum ei, quem ex populo Romano conceperat, eximeret. Inter alia cum quaereret, quem fuisse maximum imperatorem Hannibal crederet, respondit «Alexandrum Macedonum regem, quod parva manu innumerabiles exercitus fudisset, quodque ultimas oras, quas visere supra spem humanam esset, peragrasset.» Quaerenti deinde quem secundum poneret, «Pyrrhum,» inquit, «eo quod castra metari primum docuisset; adhoc neminem elegantius loca cepisse, praesidia disposuisse.» Exsequenti quem tertium diceret, «semet ipsum» dixit. Ridens Scipio «Quidnam tu diceres, si me,» inquit, «vicisses?» «Tunc vero» inquit «me et ante Alexandrum et ante Pyrrhum et ante alios posuissem.» Inter cetera prodigia, quae plurima fuisse traduntur, bovem Cn. Domitii consulis locutum «Roma cave tibi» refertur. Apparant in Antiochum bellum Romani. Nabis Lacedaemoniorum tyrannus incitatus ab Aetolis, qui et Philippum et Antiochum ad inferendum bellum populo Romano sollicitabant, a populo Romano descivit; et bello adversus Philopoemenem Achaeorum praetorem gesto, ab Aetolis et ab Alexameno duce eorum interfectus est. Aetoli quoque ab amicitia populi Romani
562 defecerunt; cum quibus societate iuncta Antiochus Syriae rex, cum bellum Graeciae intulisset, complures urbes occupavit, inter quas Chalcidem, et totam Eu-

boeam. Res praeterea in Liguribus gestas et apparatum belli ab Antiocho continet.

Liber XXXVI.

M'. Acilius Glabrio consul Antiochum apud Ther- 563
mopylas, Philippo rege adiuvante, victum Graecia expulit, idemque Aetolos subegit. P. Cornelius Scipio Nasica consul aedem matris deûm, quam ipse in Palatium intulerat, vir optimus a senatu iudicatus, dedicavit; idemque Boios Gallos victos in deditionem accepit et de iis triumphavit. Praeterea navalia certamina prospera adversus praefectos Antiochi regis referuntur.

Liber XXXVII.

L. Cornelius Scipio consul, legato P. Scipione Afri- 564
cano (qui se legatum fratris futurum dixerat, si ei Graecia provincia decerneretur, cum C. Laelio, qui multum in senatu poterat, ea provincia dari videretur) profectus ad bellum adversus Antiochum gerendum in Asiam primus omnium Romanorum ducum traiecit. Aemilius Regillus adversus regiam classem Antiochi feliciter pugnavit ad Myonnesum, Rhodiis adiuvantibus. Filius Africani ab Antiocho captus patri remissus est. M'. Acilius Glabrio de Antiocho, quem Graecia expulerat, et de Aetolis triumphavit. Victo deinde Antiocho a L. Cornelio Scipione, adiuvante Eumene rege Pergami, Attali
filio, pax data est ea condicione, ut omnibus provin- 565

---

4. „Rectius omnia se haberent, si hoc ordine in Epitome legerentur: *Man. Acilius Glabrio consul Antiochum apud Thermopylas victum Graecia expulit, idemque Philippo rege adiuvante Aetolos subegit.*" PERIZONIUS. — 8. *dedicavit]* „Diserte Livius 36, 36. a Nasica quidem deam, cum ex Asia advecta esset, in Palatium a mari esse delatam, aedem vero eius tunc a M. Iunio Bruto praetore urbano dedicatam refert." IDEM.

ciis citra Taurum montem cederet. Eumeni, quo iuvante Antiochus victus erat, regnum ampliatum. Rhodiis quoque, qui et ipsi iuverant, quaedam civitates concessae. Colonia deducta est Bononia. Aemilius Regillus, qui praefectos Antiochi navali certamine vicerat, navalem triumphum duxit. L. Cornelius Scipio, qui cum Antiocho debellaverat, cognomine fratri exaequatus Asiaticus appellatus est.

Liber XXXVIII.

M. Fulvius consul in Epiro Ambracienses obsessos in deditionem accepit, Cephalleniam subegit, Aetolis perdomitis pacem dedit. Cn. Manlius consul, collega eius, Gallograecos Tolistoboios et Tectosagos et Trocmos, qui Brenno duce in Asiam transierant, cum soli citra Taurum montem non parerent, vicit. Eorum origo, et quemadmodum ea loca quae tenent occupaverint, refertur. Exemplum quoque virtutis et pudicitiae in femina traditur: nam cum Ortiagontis regis Gallograecorum uxor captiva esset, centurionem custodem, qui
566 ei vim intulerat, occidit. Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt civium capita ducenta quinquaginta octo milia et trecenta viginti octo. Cum Ariarathe rege Cappadociae amicitia iuncta est. Cn. Manlius contradicentibus decem legatis, ex quorum consilio foedus cum Antiocho conscripserat, de Gallograecis,
567 acta pro se causa in senatu, triumphavit. Scipio Africanus die ei dicta, ut quidam aiunt, a Q. Petillio tribuno plebis, ut quidam, a Naevio, quod praeda ex Antiocho capta aerarium fraudasset, postquam is dies venit, evocatus in Rostra «Hac die,» inquit «Quirites, Karthaginem vici;» et prosequente populo Capitolium adscendit. Inde ne amplius tribuniciis iniuriis vexaretur, in

voluntarium exsilium Liternum concessit, incertum ibi an Romae defunctus: nam eius monumentum utrobique fuit. L. Scipio Asiaticus, frater Africani, eodem peculatus crimine accusatus damnatusque cum in vincula et carcerem duceretur, Ti. Sempronius Gracchus tribunus plebis, qui antea Scipionibus inimicus fuerat, intercessit, et ob id beneficium Africani filiam duxit. Cum quaestores in bona eius publice possidenda missi essent, non modo in iis ullum vestigium pecuniae regiae apparuit, sed nequaquam tantum redactum quantae summae erat damnatus. Collatam a cognatis et amicis innumerabilem pecuniam accipere noluit: quae necessaria ei erant ad cultum, redempta.

Liber XXXIX.

M. Aemilius consul Liguribus subactis viam a Placentia usque Ariminum perductam Flaminiae iunxit. Initia luxuriae in urbem introducta ab exercitu Asiatico referuntur. Ligures quicunque citra Apenninum
erant, subacti sunt. Bacchanalia, sacrum Graecum et 563
nocturnum, scelerum omnium seminarium, cum ad ingentis turbae coniurationem pervenisset, a consule investigatum et multorum poena sublatum est. A censoribus L. Valerio Flacco et M. Porcio Catone, et belli et pacis artibus maximo, motus est senatu L. Quinctius Flamininus T. Quinctii frater, eo quod, cum Galliam provinciam consul obtinuerat, rogatus in convivio a Philippo Poeno, quem amabat, scorto nobili, Gallum quendam sua manu occiderat; sive ut quidam tradiderunt, unum ex damnatis securi percusserat rogatus a meretrice Placentina, cuius amore deperibat. Exstat
in eum M. Catonis oratio. Scipio Literni decessit, et 569
tamquam iungente fortuna, circa idem tempus duo fu- 571

nera maximorum virorum, Hannibal a Prusia Bithyniae rege, ad quem victo Antiocho confugerat, cum dederetur Romanis, qui ad exposcendum illum T. Quinctium Flamininum miserant, veneno sibi mortem con-
571 scivit. Philopoemen quoque dux Achaeorum, vir maximus, a Messeniis occisus veneno, cum ab iis bello
570 captus esset. Coloniae Potentia et Pisaurum et Mutina et Parma deductae sunt. Praeterea res adversus Celtiberos prospere gestas et initia causasque belli Macedonici continet; cuius origo inde fluxit, quod Philippus aegre ferebat regnum suum imminui a Romanis, et quod cogeretur a Thracibus aliisque locis praesidia deducere.

Liber XL.

Cum Philippus liberos eorum quos occiderat conquiri obsides iussisset, Theoxena pro liberis suis et sororis admodum pueris verita regis libidinem, prolatis in medium gladiis et poculo, in quo erat venenum, suasit iis, ut imminens ludibrium morte effugerent; quod cum persuasisset, ipsa se cum viro e navi in mare praecipitavit. Certamina inter Philippi Macedoniae regis liberos Persen et Demetrium referuntur; et ut fraude fratris sui Demetrius confictis criminibus, inter quae accusatione parricidii et affectati regni, primum petitus, ad ultimum, quoniam populi Romani amicus erat, veneno necatus est; regnumque Macedoniae
572 mortuo Philippo ad Persen devenit. Item res in Liguribus et in Hispania contra Celtiberos a compluribus feliciter gestas continet. Libri Numae Pompilii in agro

---

6. *occisus*] Libri meliores: *interemptus* unus Norvic., vulgo. „Saepissime in editionibus Epitomarum *interimere* datum est, ubi Codd. eorum *occidere* praebent." Drak.

L. Petillii scribae sub Ianiculo a cultoribus agri, in arca lapidea clausi, et Graeci et Latini, inventi sunt; in quibus cum plura dissolvendarum religionum praetor, ad quem delati erant, legisset, iuravit senatui contra rem publicam esse, ut legerentur servarenturque; et ex senatus consulto in comitio exusti sunt. Colonia Aquileia deducta est. Philippus aegritudine animi confectus, quod Demetrium filium falsis Persei alterius filii delationibus impulsus veneno sustulisset, et de poena Persei cogitavit, voluitque Antigonum potius amicum suum successorem regni sui relinquere. Sed in hac cogitatione morte raptus est. Regnum Perseus excepit. 580

Liber XLI.

Ignis in aede Vestae exstinctus est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul Celtiberos victos in deditionem accepit, monumentumque operum suorum Gracchurim oppidum in Hispania constituit; et a Postumio Albino proconsule Vaccaei ac Lusitani subacti sunt. Uterque triumphavit. Antiochus Antiochi filius, obses Romanis a patre datus, mortuo fratre Seleuco qui patri defuncto successerat, in regnum Syriae ab urbe dimissus, praeter religionem qua multa templa magnifica multis locis erexit, Athenis Iovis Olympii et Antiocheae Capitolini, vilissimum regem egit. Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt civium capita ducenta sexaginta tria milia ducenta nonaginta quattuor. Q. Vo- 580
conius Saxa tribunus plebis legem tulit, «ne quis heredem mulierem institueret.» Suasit legem M. Cato: ex-

3. *plura dissolvendarum]* e Codd. Leid. et Berg. Bekkerus: *plura, quae dissolvendarum* Drak. (Alii Cod. *plura, quae dissolvendarum religionum erant,* alii *plura, quae dissolvendarum religionum videbantur.)*

stat oratio eius. Praeterea res contra Ligures, Istros, Sardos et Celtiberos a compluribus ducibus prospere gestas et initia belli Macedonici continet, quod Perseus Philippi filius moliebatur. Miserat enim ad Karthaginienses legationem, et ab iis nocte audita erat. Sed et alias Graeciae civitates sollicitabat.

Liber XLII.

Q. Fulvius Flaccus censor templum Iunonis Laciniae tegulis marmoreis spoliavit, ut aedem quam dedicabat tegeret. Tegulae ex senatus consulto reportatae.
582 Eumenes Asiae rex in senatu de Perseo Macedoniae rege questus est; cuius iniuriae in populum Romanum referuntur. Ob quas bello ei indicto P. Licinius Crassus consul, cui id mandatum erat, in Macedoniam transiit, levibusque expeditionibus, equestribus proeliis, in Thessalia cum Perseo parum felici eventu pugnavit. Inter Masinissam et Karthaginienses de agro fuit arbiter ad disceptandum a senatu datus. Legati missi ad civitates socias et reges rogandos, ut in fide permanerent, dubitantibus Rhodiis. Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt civium capita ducenta quinquaginta septem milia ducenta triginta unum. Res praeterea adversus Corsos et Ligures prospere gestas continet.

Liber XLIII.

Praetores aliquot, eo quod avare et crudeliter pro-
Cos. 583 vincias administrassent, damnati sunt. P. Licinius Crassus proconsul complures in Graecia urbes expugnavit et crudeliter diripuit: ob id captivi, qui ab eo sub corona venierant, ex senatus consulto postea restituti sunt. Item a praefectis classium Romanarum multa

impotenter in socios facta. Res praeterea a Perseo rege in Thracia prospere gestas continet, victis Dardanis et Illyrico, cuius rex erat Gentius. Motus qui in Hispania ab Olonico factus erat, ipso interempto consedit. M. Aemilius Lepidus a censoribus princeps in senatu lectus.

Liber XLIV.

Q. Marcius Philippus per invios saltus penetravit in 585
Macedoniam, compluresque urbes occupavit. Rhodii
misere legatos Romam, minantes se Perseo auxilio futuros,
nisi populus Romanus cum eo pacem atque amicitiam
iungeret. Indigne id latum. Cum id bellum
L. Aemilio Paullo, sequentis anni consuli iterum, man- 586
datum esset, Paullus in contione precatus, ut quidquid diri populo Romano immineret, in domum suam converteretur, et in Macedoniam profectus, vicit Persen totamque Macedoniam in potestatem redegit. Antequam confligeret, C. Sulpicius Gallus tribunus militum praedixit exercitui, ne miraretur quod luna nocte proxima defectura esset. Gentius quoque rex Illyriorum, cum rebellasset, ab Anicio praetore victus venit in deditionem, et cum uxore et liberis et propinquis Romam missus est. Alexandreâ legati a Cleopatra et Ptolemaeo regibus venerunt, querentes de Antiocho rege Syriae, quod eis bellum inferret. Perses sollicitatis in auxilium Eumene rege Pergami et Gentio rege Illyriorum, quia his pecuniam quam promiserat non dabat, ab iis relictus est.

Liber XLV.

Perseus ab Aemilio Paullo in Samothrace captus est. Cum Antiochus Syriae rex Ptolemaeum et Cleopatram Aegypti reges obsideret, et missis ad eum a

senatu legatis, qui iuberent ab obsidione socii regis absisteret, editisque mandatis consideraturum se ille quid faciendum esset respondisset, unus ex legatis Popillius virga regem circumscripsit, iussitque, antequam circulo excederet, responsum daret. Qua asperitate effecit, ut Antiochus bellum omitteret. Legationes gratulantium populorum ac regum in senatum admissae, Rhodiorum, quia eo bello contra populum Romanum faverant, exclusa. Postero die cum de eo quaereretur, ut iis bellum indiceretur, causam in senatu patriae suae legati egerunt. Nec tamquam hostes nec tamquam socii dimissi. Macedonia in provinciae formam
587 redacta est. Aemilius Paullus, repugnantibus militibus ipsius propter minorem praedam, et contradicente Ser. Sulpicio Galba, triumphavit, et Persen cum tribus filiis ante currum duxit. Cuius triumphi laetitia ne solida ei contingeret, duorum filiorum funeribus insignita est; quorum alterius mors patris triumphum praecessit, alterius secuta est. Lustrum conditum est a censoribus: censa sunt civium capita trecenta duodecim milia octingenta quinque. Prusias Bithyniae rex Romam, ut senatui gratularetur ob victoriam ex Macedonia partam, venit, et Nicomedem filium senatui commendavit. Rex plenus adulationis libertum se populi Romani dicebat.

Liber XLVI.

Eumenes rex Romam venit; qui quia Macedonico bello medium egerat, ne aut hostis iudicatus videretur, si exclusus esset, aut liberatus crimine, si admit-

12. *Macedonia*] „Non tunc, sed post devictum Pseudophilippum. Error est auctoris." Gronovius.

teretur, in commune lex lata est, ne cui regi Romam
venire liceret. Claudius Marcellus consul Alpinos Gal- 583
los, C. Sulpicius Gallus consul Ligures subegit. Le-
gati Prusiae regis conquesti sunt de Eumene, quod fines
suos popularetur, dixeruntque eum conspirasse cum
Antiocho contra populum Romanum. Societas cum
Rhodiis deprecantibus iuncta est. Lustrum a censori-
bus conditum est: censa sunt civium capita trecenta
viginti septem milia viginti duo; princeps senatus
lectus M. Aemilius Lepidus. Ptolemaeus Aegypti rex, 591
pulsus regno a minore fratre, missis ad eum legatis,
restitutus est. Ariarathe Cappadociae rege mortuo filius
eius Ariarathes regnum accepit, et amicitiam cum po-
pulo Romano per legatos renovavit. Res praeterea
adversus Ligures et Corsos et Lusitanos vario eventu
gestas, et motus Syriae mortuo Antiocho, qui filium
Antiochum puerum admodum reliquerat, continet. Hunc
Antiochum puerum cum Lysia tutore Demetrius Seleuci
filius, qui Romae obses fuerat, clam, quia non dimit-
tebatur a Romanis, *elapsus* interemit et ipse in regnum
receptus. L. Aemilio Paullo, qui Persen vicerat, mor- 594
tuo, tanta eius abstinentia fuit, ut cum ex Hispania
et ex Macedonia immensas opes rettulisset, vix ex
auctione eius redactum sit, unde uxori eius dos solve-
retur. Pomptinae paludes a Cornelio Cethego consule,
cui ea provincia evenerat, siccatae, agerque ex iis
factus.

Liber XLVII.

Cn. Tremellio tribuno plebis multa dicta est, quod
cum M. Aemilio Lepido pontifice maximo iniuriose con-

---

20. *elapsus* supplevit Gronovius.

tenderat; sacrorumque quam magistratuum ius poten-
595 tius fuit. Lex de ambitu lata. Lustrum a censoribus
conditum est: censa sunt civium capita trecenta tri-
ginta octo milia trecenta quattuordecim; princeps se-
natus lectus Aemilius Lepidus. Inter Ptolemaeos fra-
tres, qui dissidebant, foedus ictum, ut alter in Aegypto,
alter Cyrenis regnaret. Ariarathes Cappadociae rex
consilio Demetrii regis Syriae et viribus pulsus regno,
597 a senatu restitutus est. Missi a senatu qui inter Masi-
598 nissam et Karthaginienses de agro iudicarent. C. Mar-
cius consul adversus Dalmatas parum prospere primum,
postea feliciter pugnavit; cum quibus bello confligendi
causa fuit, quod Illyrios populi Romani socios vasta-
599 verant; eandemque gentem Cornelius Nasica consul
domuit. Q. Opimius consul Transalpinos Ligures, qui
Massiliensium oppida Antipolim et Nicaeam vastabant,
600 subegit. Praeterea res in Hispania a compluribus pa-
601 rum prospere gestas continet. Consules anno quingen-
tesimo nonagesimo octavo ab urbe condita magistratum
[peractis comitiis, insequentisque anni consulibus crea-
tis,] *Kalendis Ianuariis* inire coeperunt. Mutandi co-
mitia causa fuit quod Hispani rebellabant. Legati ad
disceptandum inter Masinissam et Karthaginienses missi
renuntiaverunt vim navalis materiae se Karthagine de-
prehendisse. Aliquot praetores a provinciis avaritiae
nomine accusati damnati sunt.

Liber XLVIII.

Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt civium capita trecenta viginti quattuor milia. Semina

21. Probabilis est Drakenborchii suspicio, omittenda esse cum Codd. quinque et Ed. Campani verba a nobis seclusa, et inserenda vv. *Kal. Ian.*, quae a libris absunt.

tertii belli Punici referuntur. Cum in finibus Kartha-
giniensium ingens Numidarum exercitus, duce Ario-
barzane Syphacis nepote, diceretur esse, M. Porcius
Cato suasit ut Karthaginiensibus, cum Ariobarzanem
specie contra Masinissam regem, sed re vera contra
Romanos accitum in finibus haberent, bellum indicere-
tur. Contra dicente P. Cornelio Nasica placuit legatos
mitti Karthaginem, qui specularentur quid ageretur.
Castigato senatu Karthaginiensium, quod contra foedus
et exercitum et navales materias haberent, pacem inter
eos et Masinissam facere voluerunt, Masinissa agro,
de quo lis erat, cedente. Sed Gisgo Hamilcaris filius,
homo seditiosus, qui tunc in magistratu erat, cum se-
natus pariturum se iudicio legatis dixisset, ita bellum
adversus Romanos suadendo concitavit, ut legatos, quo
minus violarentur, fuga explicuerit. Id nuntiantes in-
festum iam senatum Karthaginiensibus infestiorem fe-
cerunt. M. Porcius Cato filii in praetura mortui funus 601
tenuissimo, ut valuit (nam pauper erat), sumptu fecit.
Andriscus, qui se Persei filium, regis quondam Mace-
doniae, ingenti asseveratione mentiretur, Romam mis-
sus. M. Aemilius Lepidus, qui princeps senatus ab
sextis iam censoribus erat lectus, antequam exspiraret, 600
praecepit filiis, lecto se strato linteis, sine purpura
efferrent; in reliquum funus ne plus quam aeris denos
consumerent: imaginum specie, non sumptibus nobili-
tari magnorum virorum funera solere. De veneficiis
quaesitum. Publicia et Licinia, nobiles feminae, quae
viros suos consulares necasse insimulabantur, cognita
causa, cum praetori pro se vades dedissent, cognato-

---

24. *linteis]* Perizonius: libri *sine linteis*. — 25. *denos]* Vocabulum corruptum. Fort. fuit *D.*, quingentos sestertios. Os.

rum decreto necatae sunt. Gulussa Masinissae filius denuntiavit Karthagine delectus agi, classem comparari, et haud dubium bellum strui. Cum Cato suaderet, ut iis bellum indiceretur, P. Cornelio Nasica dicente nihil 603 temere faciundum, placuit decem mitti legatos exploratum. L. Licinius Lucullus, A. Postumius Albinus consules cum delectum severe agerent nec quemquam gratia dimitterent, ab tribunis plebis, qui pro amicis suis vacationem impetrare non potuerant, in carcerem coniecti sunt. Cum Hispaniense bellum parum prospere aliquoties gestum ita confudisset civitatem Romanam, ut ne ii quidem invenirentur, qui aut tribunatum exciperent aut legati ire vellent, P. Cornelius Aemilianus processit, et excepturum se militiae genus quodcunque imperatum esset professus est; quo exemplo omnes ad studium militandi concitavit. L. Lucullus consul, qui M. Claudio Marcello successerat, cum lacessere omnes Celtiberiae populi viderentur, Vaccaeos et Cantabros et alias adhuc incognitas nationes in Hispania subegit. Ibi P. Cornelius [Africanus] Scipio Aemilianus, L. Paulli filius, Africani nepos, sed adoptivus, provocatorem barbarum tribunus militum occidit; et in oppugnatione Intercatiae urbis maius etiam periculum adiit; nam murum primus transcendit. Ser. Sulpicius Galba praetor male adversus Lusitanos pugnavit. Cum legati ex Africa cum oratoribus Karthaginiensium et Gulussa Masinissae filio redissent, dicerentque et exercitum se et classem Karthagine deprehendisse, perrogari sententias placuit. Catone et aliis principibus senatui suadentibus, ut in Africam confe-

---

20. *Africanus* voc. suspectum: *Scipio Africanus* Bekker. Vide Interpretes.

stim transportaretur exercitus, quod P. Cornelius Nasica dicebat nondum sibi iustam causam belli videri, placuit, ut bello abstinerent, si Karthaginienses clas- 605
sem exussissent et exercitum dimisissent: sin minus, proximi consules de Punico bello referrent. Cum locatum a censoribus theatrum exstrueretur, P. Cornelio Nasica auctore tamquam inutile et nociturum publicis moribus ex senatus consulto destructum est, populusque aliquamdiu stans ludos spectavit. Karthaginienses cum adversus foedus bellum Masinissae intulissent, victi ab eo annos habente nonaginta duos, et sine pulpamine mandere et gustare panem tantum solito, insuper Romanum bellum meruerant.

Liber XLIX.

Tertii Punici belli initium altero et sexcentesimo 605
anno ab urbe condita, intra quintum annum quam erat coeptum, consummati. Inter M. Porcium Catonem et Scipionem Nasicam, quorum alter sapientissimus vir in civitate habebatur, alter etiam vir optimus a senatu iudicatus erat, diversis certatum sententiis est, Catone suadente bellum, et ut tolleretur delereturque Karthago, Nasica dissuadente. Placuit tamen, quod contra foedus naves haberent, quod exercitum extra fines duxissent, quod socio populi Romani et amico Masinissae arma intulissent, quod filium eius Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum non recepissent, bellum iis indici. Priusquam ullae copiae in naves imponerentur, Uticenses legati Romam venerunt, se suaque omnia dedentes. Ea legatio veluti omen grata patribus, acerba Karthaginiensibus fuit. Diti patri ludi ad

11. *duodenonaginta* Wesselingius: Crevierius.

Terentum ex praecepto librorum Sibyllinorum facti; qui anno centesimo ante, primo Punico bello, quingentesimo et altero anno ab urbe condita, facti erant. Legati triginta Romam venerunt, per quos se Karthaginienses dedebant. Catonis sententia pervicit, ut in decreto perstaretur, et ut consules quam primum ad bellum proficiscerentur. Qui ubi in Africam transierunt, acceptis quos imperaverant trecentis obsidibus, et armis omnibusque instrumentis bellicis, si qua Karthagine erant, tunc, cum ex auctoritate patrum iuberent, ut in alium locum, dum a mari decem milia passuum, ne minus, remotum, oppidum facerent, indignitate
605 rei ad rebellandum Karthaginienses compulerunt. Obsideri oppugnarique coepta est Karthago ab L. Marcio et M'. Manilio consulibus. In qua oppugnatione cum neglectos ab una parte muros duo tribuni temere cum cohortibus suis irrupissent et ab oppidanis graviter caederentur, a Scipione Africano expliciti sunt; per quem et castellum Romanorum, quod nocte expugnabant, paucis equitibus iuvantibus liberatum est. Castrorumque, quae Karthaginienses omnibus copiis ab urbe pariter egressi oppugnabant, liberatorum is ipse praecipuam gloriam tulit. Praeterea cum ab irrita oppugnatione Karthaginis consul (alter enim Romam ad comitia ierat) exercitum duceret adversus Hasdrubalem, qui cum altera manu iniquum saltum insederat, suasit primo consuli, ne tam iniquo loco confligeret; victus deinde complurium, qui et prudentiae eius et virtuti invidebant, sententiis et ipse saltum ingressus est, cumque, sicut praedixerat, fusus fugatusque esset Romanus exercitus et duae cohortes ab hoste obsiderentur, cum

26. *altera*] *ampla* Excerpta Pithoei.

exiguis equitum turmis in saltum reversus liberavit eas et incolumes reduxit. Quam virtutem eius et Cato, vir promptioris ad vituperandum linguae, in senatu sic prosecutus est, ut diceret «reliquos, qui in Africa militarent, umbras militare, Scipionem vigere;» et populus Romanus eo favore complexus, ut comitiis plurimae eum tribus consulem scriberent, cum hoc per aetatem non liceret. Cum L. Scribonius tribunus plebis rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui in fidem populi Romani dediti a Ser. Galba in Galliam venis- 605 sent, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrime suasit. Exstat oratio in Annalibus eius inclusa. Q. Fulvius Nobilior, et saepe ab eo in senatu laceratus, respondit pro Galba. Ipse quoque Galba, cum se damnari videret, complexus duos filios praetextatos et Sulpicii Galli filium, cuius tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur. Exstant tres orationes eius, duae adversus Libonem tribunum plebis rogationemque eius habitae de Lusitanis, una contra L. Cornelium Cethegum, in qua Lusitanos propter sese castra habentes caesos fatetur, quod compertum habuerit equo atque homine suo ritu immolatis per speciem pacis adoriri exercitum suum in animo habuisse. An- 605 driscus quidam, ultimae sortis homo, Persei regis se filium ferens et mutato nomine Philippus vocatus, cum ab urbe Romana, quo illum Demetrius Syriae rex ob hoc ipsum mendacium miserat, clam profugisset, multis ad falsam eius fabulam velut ad veram coëuntibus,

5. *militare*] *volitare* Gronovius. (Odyss. κ, 495: Οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.) — 7. *scriberent*] *iuberent* Gronovius. — 13. *et saepe*] *et ipse saepe* Crevierius. (Fortasse *et* interpolatum ab iis, qui *Nobilior* pro adiectivo prave haberent.)

contracto exercitu totam Macedoniam aut voluntate incolentium aut armis occupavit. Fabulam autem talem finxerat: «ex pellice se et Perseo rege ortum traditum educandum Cretensi cuidam esse, ut in belli casus, quod ille cum Romanis gereret, aliquod velut semen regiae stirpis exstaret; Perseo demortuo Adramyttei se educatum usque ad duodecimum annum aetatis, patrem eum esse credentem, a quo educaretur, ignarum generis fuisse sui; affecto deinde eo, cum prope ad vitae finem ultimum esset, detectam tandem ibi originem suam, falsaeque matri libellum datum signo Persei regis signatum, quem sibi traderet, cum ad puberem aetatem venisset; obtestationesque ultimas adiectas, ut res in occulto ad id tempus servaretur; pubescenti libellum traditum, in quo relicti sibi duo thesauri a patre dicerentur; tum scienti mulierem subditum se esse, veram stirpem ignoranti, edidisse genus; atque obtestatam, ut prius quam manaret ad Eumenem res, Perseo inimicum, excederet iis locis, ne interficeretur; eo se exterritum, simul sperantem aliquod a Demetrio auxilium, in Syriam se contulisse, atque ibi primum, quis esset, palam expromere ausum.»

Liber L.

Thessalia, cum et illam invadere armis atque occupare Pseudophilippus vellet, per legatos Romanorum auxiliis Achaeorum defensa est. Prusias rex Bithyniae, omniumque humillimorum vitiorum, a Nicomede filio, adiuvante Attalo rege Pergami, occisus est. Habebat alium filium, qui pro superiore ordine dentium enatum habuisse unum os continens dicitur. Cum tres legatos ad pacem inter Nicomedem et Prusiam faciendam Ro-

mani misissent, et unus ex iis multis cicatricibus sparsum caput haberet, alter pedibus aeger esset, tertius ingenio socors haberetur, dixit Cato eam legationem nec caput nec pedes nec cor habere. In Syria, quae eo tempore stirpe generis parem regi Macedonum, inertia socordiaque similem Prusiae regem habebat, iacente eo in ganea et lustris Ammonius regnabat, per quem et amici omnes regis et Laodice regina et Antigonus Demetrii filius occisi. Masinissa Numidiae rex maior 606
nonaginta annis decessit, vir insignis. Inter cetera opera iuvenilia, quae ad ultimum edidit, adeo etiam versus in senectam viguit, ut post sextum et octogesimum annum filium genuerit. Inter tres liberos eius, maximum natu Micipsam, Gulussam, Mastanabalem, qui etiam Graecis litteris eruditus erat, P. Scipio Aemilianus, cum commune eis pater regnum reliquisset, et dividere eos arbitro Scipione iussisset, partes administrandi regni divisit. Item Phamaeae Himilconi, praefecto equitum Karthaginiensium, viro forti et cuius praecipua opera Poeni utebantur, persuasit, ut ad Romanos cum equitatu suo transiret. Ex tribus legatis, qui ad Masinissam missi fuerant, Claudius Marcellus coorta tempestate fluctibus obrutus est. Karthaginienses Hasdrubalem Masinissae nepotem, quem praetorem habebant, proditionis suspectum in curia occiderunt; quae suspicio inde emanavit, quod propinquus esset Gulussae Romanos auxilio iuvantis. P. Scipio Aemilianus cum aedilitatem peteret, consul a populo dictus, quoniam per annos consulem fieri non licebat, cum magno certamine suffragantis plebis, et repugnantibus aliquamdiu patribus, legibus solutus et consul creatus est. M.' Manilius aliquot urbes circumpositas Karthagini expugnavit. Pseudophilippus in Macedonia, caeso 606

cum exercitu P. Iuventio praetore, a Q. Caecilio victus captusque est, et recepta Macedonia.

Liber LI.

607 Karthago in circuitu milia viginti tria passuum pa-
tens, magno labore obsessa et per partes capta est,
primum a Mancino legato, deinde a Scipione consule,
cui extra sortem provincia Africa data erat. Kartha-
ginienses portu novo, quia vetus obstructus a Scipione
erat, facto, et contracta clam exiguo tempore ampla
classe, infeliciter navali proelio pugnaverunt. Hasdru-
balis quoque ducis eorum castra, ad Nepherim oppi-
dum loco difficili sita, cum exercitu deleta sunt a Sci-
608 pione, qui tandem urbem expugnavit septingentesimo
anno quam erat condita. Spoliorum maior pars Sicu-
lis, quibus ablata erant, reddita. Ultimo urbis excidio,
cum se Hasdrubal Scipioni dedidisset, uxor eius, quae
paucis ante diebus de marito impetrare non potuerat,
ut ad victorem transfugerent, in medium se flagrantis
urbis incendium duobus cum liberis ex arce praecipi-
tavit. Scipio exemplo patris sui naturalis Aemilii Paulli,
qui Macedoniam vicerat, ludos fecit, transfugasque ac
fugitivos bestiis obiecit. Belli Achaici semina refe-
runtur haec, quod legati populi Romani ab Achaeis
pulsati sint Corinthi, missi, ut eas civitates, quae sub
dicione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent.

Liber LII.

Cum Achaeis, qui in auxilio Boeotos et Chalcidenses habebant, Q. Caecilius Metellus ad Thermopylas bello conflixit; quibus victis dux eorum Critolaus veneno sibi mortem conscivit. In cuius locum Diaeus, Achaici motus primus auctor, ab Achaeis dux creatus,

ad Isthmon a L. Mummio consule victus est. Qui
omni Achaia in deditionem accepta Corinthon ex se- 608
natus consulto diruit, quia ibi legati Romani violati
erant. Thebae quoque et Chalcis, quae auxilio fuerant,
dirutae. Ipse L. Mummius abstinentissimum virum
egit; nec quidquam ex iis opibus ornamentisque, quae
praedives Corinthos habuit, in domum eius pervenit.
Q. Caecilius Metellus de Andrisco triumphavit, P. Cor-
nelius Scipio Africanus Aemilianus de Karthagine et
de Hasdrubale. Viriathus in Hispania primum ex pa- 605
store venator, ex venatore latro, mox iusti quoque ex-
ercitus dux factus, totam Lusitaniam occupavit, C. Ve-
tilium praetorem fuso eius exercitu cepit; post quem
C. Plautius praetor nihilo felicius rem gessit. Tan-
tumque terroris is hostis intulit, ut adversus eum con-
sulari opus esset et duce et exercitu. Praeterea mo-
tus Syriae et bella inter reges gesta referuntur. Ale-
xander, homo ignotus et incertae stirpis, occiso, sicut
ante dictum est, Demetrio rege in Syria regnabat.
Hunc Demetrius Demetrii filius, qui a patre quondam
ob incertos belli casus ablegatus Gnidon fuerat, con-
tempta socordia inertiaque eius, adiuvante Ptolemaeo
Aegypti rege, cuius filiam Cleopatram in matrimonium
acceperat, bello interemit. Ptolemaeus in caput gra- 608
viter vulneratus, inter curationem, dum ossa medici
terebrare contendunt, exspiravit; atque in locum eius
frater minor Ptolemaeus, qui Cyrenis regnabat, suc-
cessit. Demetrius ob crudelitatem, quam per tormenta
in suos exercebat, a Diodoto quodam, uno ex subiectis,
qui Alexandri filio bimulo admodum regnum asserebat,
bello superatus Seleuceam confugit. L. Mummius de
Achaeis triumphavit, signa aerea marmoreaque et ta-
bulas pictas in triumpho tulit.

Liber LIII.

611 Ap. Claudius consul Salassos, gentem Alpinam, do-
612 muit. Alter Pseudophilippus in Macedonia a L. Tre-
mellio quaestore cum exercitu caesus est. Q. Caecilius
Metellus proconsul Celtiberos cecidit. A Q. Fabio pro-
consule pars magna Lusitaniae, expugnatis aliquot ur-
bibus, recepta est. C. Iulius senator Graece res Ro-
manas scribit.

Liber LIV.

613 Q. Pompeius consul in Hispania Termestinos sube-
git. Cum eisdem et Numantinis pacem a populo Ro-
mano infirmatam fecit. Lustrum a censoribus condi-
tum est: censa civium capita trecenta viginti octo
milia, quadringenta quadraginta duo. Cum Macedonum
legati conquestum de D. Iunio Silano praetore venis-
sent, quod acceptis pecuniis provinciam spoliasset, et
senatus de querelis eorum vellet cognoscere, T. Man-
lius Torquatus, pater Silani, petiit impetravitque, ut
sibi cognitio mandaretur; et domi causa cognita filium
condemnavit abdicavitque, ac ne funeri quidem eius,
cum suspendio vitam finisset, interfuit; sedensque domi
potestatem consultantibus ex instituto fecit. Q. Fabius
proconsul rebus in Hispania prospere gestis labem im-
posuit, pace cum Viriatho aequis condicionibus facta.
614 Viriathus a proditoribus consilio Servilii Caepionis in-
terfectus est, et ab exercitu suo multum comploratus
ac nobiliter sepultus, vir duxque magnus, et per quat-
tuordecim annos, quibus cum Romanis bellum gessit,
frequentius superior.

---

11. *pacem a populo Romano infirmatam]* Gronovius: Libri *pacem ab infirmitate* vel *pacem ob infirmitatem.* — 22. *consultantibus* κυριωτέρως Excerpta Pithoei et Dukerus.

Liber LV.

P. Cornelio Nasica, cui cognomen Serapion fuit, 616 ab irridente Curiatio tribuno plebis impositum, et D. Iunio Bruto consulibus delectum habentibus in conspectu tironum res saluberrimi exempli facta est: nam C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatusque sub furca diu virgis caesus est, et sestertio nummo veniit. Tribuni plebis quia non impetrarent, ut sibi denos, quos vellent, milites eximere liceret, consules in carcerem duci iusserunt. Iunius Brutus consul in Hispania iis qui sub Viriatho militaverant agros et oppidum dedit, quod Valentia vocatum est. M. Popillius a Numantinis, cum quibus pacem factam senatus irritam fieri censuerat, cum exercitu fusus fugatusque est. 617 C. Hostilio Mancino consule sacrificante pulli ex cavea evolaverunt; conscendenti deinde navim, ut in Hispaniam proficisceretur, accidit vox «Mane, Mancine:» quae auspicia tristia fuisse eventu probatum est. Victus enim a Numantinis et castris exutus, cum spes nulla servandi exercitus esset, pacem cum eis fecit ignominiosam, quam ratam esse senatus vetuit. Triginta milia Romanorum a Numantinorum milibus quattuor victa erant. D. Iunius Lusitaniam triginta urbium expugnationibus usque ad occasum et Oceanum perdomuit; et cum fluvium Oblivionem transire nollent milites, ereptum signifero signum ipse transtulit, et sic, ut transgrederentur, persuasit. Alexandri filius, rex Syriae, decem annos admodum habens, a Diodoto, qui Tryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem oc-

---

26. *Oblivionis* Cod. Berg. Casaubonus.

cisus est, corruptis medicis, qui eum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant, occiderunt.

Liber LVI.

618 D. Iunius Brutus in Hispania ulteriore feliciter adversus Gallaecos pugnavit. Dissimili eventu M. Aemilius Lepidus proconsul adversus Vaccaeos rem gessit, clademque similem Numantinae passus est. Ad exsolvendum Numantini foederis religione populum Mancinus, cum huius rei auctor fuisset, deditus Numantinis non est receptus. Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt civium capita trecenta viginti tria milia,
619 nongenta viginti tria. Fulvius Flaccus consul Vardaeos in Illyrico subegit. M. Cosconius praetor in Thracia cum Scordiscis prospere pugnavit. Cum bellum Numantinum vitio ducum non sine pudore publico duraret, delatus est ultro Scipioni Africano a senatu populoque Romano consulatus; quem cum illi capere ob legem, quae vetabat quemquam iterum consulem fieri, non liceret, sicuti priore consulatu, legibus solutus est.
619 Bellum servile in Sicilia ortum, cum opprimi a praetoribus non potuisset, C. Fulvio consuli mandatum est. Huius belli initium fuit Eunus servus, natione Syrus; qui contracta agrestium servorum manu et solutis ergastulis iusti exercitus numerum implevit. Cleon quo-

---

18. Lex haec lata erat a M. Porcio Catone Censorio a. u. c. 604. Priscianus 3, 1: *M. Cato in oratione,* „Ne quis iterum consul fiat:" *Imperator laudem capit, exercitum industriorem facit.* Eadem tamen abrogata certe ante a. u. c. 647., quo M. Aemilius Scaurus iterum consul factus est: primus post a. u. c. 600., excepto tamen Scipione (a. u. c. 620.) Male ante Sigonium interpolaverant: *quem cum ille capere ob legem, quae vetabat quemquam intra decem annos iterum consulem fieri licere, minime vellet, sicuti* cet.

que, alter servus, ad septuaginta milia servorum contraxit; et copiis iunctis contra populum Romanum exercitumque eius bellum saepe gesserunt.

Liber LVII.

Scipio Africanus Numantiam obsedit, et corruptum 620
licentia luxuriaque exercitum ad severissimam militiae disciplinam revocavit. Omnia deliciarum instrumenta recidit; duo milia scortorum a castris eiecit; militem quotidie in opere habuit, et triginta dierum frumentum ad septenos vallos ferre cogebat. Aegre propter onus incedenti dicebat, «cum gladio te vallare scieris, vallum ferre desinito.» Alii scutum parvum habiliter ferenti scutum amplius iusto ferre iussit: neque id se reprehendere, quando melius scuto quam gladio uteretur. Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus, si extraneus, fustibus cecidit. Iumenta omnia, ne exonerarent militem, vendidit. Saepe adversus eruptiones hostium feliciter pugnavit. Vaccaei obsessi, liberis coniugibusque trucidatis, ipsi se interemerunt. Scipio amplissima munera missa sibi ab Antiocho rege Syriae, cum celare aliis imperatoribus regum munera mos esset, pro tribunali accepturum se esse dixit, omniaque ea referre quaestorem in publicas tabulas iussit: ex iis se viris fortibus dona daturum. Cum undique Numantiam obsidione clausisset et obsessos fame videret urgeri, hostes, qui pabulatum exierant, vetuit occidi, quod diceret velocius eos absumpturos frumenti quod haberent, si plures fuissent.

---

12. *Alio - - ferente* Perizonius.

Liber LVIII.

621 Ti. Sempronius Gracchus tribunus plebis cum legem agrariam ferret adversus voluntatem senatus et equestris ordinis, «ne quis ex publico agro plus quam quingenta iugera possideret,» in eum furorem exarsit, ut M. Octavio collegae causam diversae partis defendenti potestatem lege lata abrogaret, seque et C. Gracchum fratrem et Ap. Claudium socerum triumviros ad dividendum agrum crearet. Promulgavit et aliam legem agrariam, qua sibi latius agrum patefaceret, «ut iidem triumviri iudicarent, qua publicus ager, qua privatus esset.» Deinde cum minus agri esset quam quod dividi posset sine offensa etiam plebis, quoniam eos ad cupiditatem amplum modum sperandi incitaverat, legem se promulgaturum ostendit, «ut iis qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia quae regis Attali fuisset divideretur.» Heredem autem populum Romanum reliquerat Attalus, rex Pergami, Eumenis filius. Tot indignitatibus commotus graviter senatus, ante omnes T. Annius consularis, qui cum in senatu in Gracchum perorasset, raptus ab eo ad populum delatusque plebi, rursus in eum pro Rostris contionatus est. Cum iterum tribunus plebis creari vellet Gracchus, auctore P. Cornelio Nasica in Capitolio ab optimatibus occisus est, ictus primum fragmentis subselliorum, et inter alios qui in eadem seditione occisi erant, insepultus in flumen proiectus. Res praeterea in Sicilia vario eventu adversus fugitivos gestas continet.

---

10. *qua sibi latius agrum patefaceret]* Foede corrupta haec esse manifestum est. Sententia autem huiusmodi fere requiritur: *qua (quo* volebat Gronovius:) *sibi latius ad gratiam* (apud plebem) *campum patefaceret.*

Liber LIX.

Numantini fame coacti ipsi se per vicem tradentes 621
trucidaverunt. Captam urbem Scipio Africanus delevit
et de ea triumphavit, quarto decimo anno post Kartha-
ginem deletam. P. Rupilius consul in Sicilia cum fu- 622
gitivis debellavit. Aristonicus regis Eumenis filius Asiam
occupavit, cum testamento Attali regis legata populo
Romano libera esse deberet. Adversus eum P. Lici- 623
nius Crassus consul, cum idem pontifex maximus esset,
quod nunquam antea factum erat, extra Italiam pro-
fectus, proelio victus et occisus est. M. Perperna 624
consul victum Aristonicum in deditionem accepit. Q. 623
Pompeius et Q. Metellus, tunc primum uterque ex
plebe facti censores, lustrum condiderunt: censa sunt
civium capita trecenta septemdecim milia, octingenta
viginti tria, praeter pupillos et viduas. Q. Metellus
censor censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores
liberorum creandorum causa. Exstat oratio eius, quam
Augustus Caesar cum de maritandis ordinibus ageret,
velut in haec tempora scriptam in senatu recitavit.
C. Atinius Labeo tribunus plebis Q. Metellum censo- 624
rem, a quo in senatu legendo praeteritus erat, de saxo
deiici iussit; quod ne fieret, ceteri tribuni plebis au-
xilio fuerunt. Cum Carbo tribunus plebis rogationem
tulisset ut eundem tribunum plebi, quoties vellet, cre-
are liceret, rogationem eius P. Africanus gravissima
oratione dissuasit; in qua dixit Ti. Gracchum iure cae-
sum videri. C. Gracchus contra suasit rogationem: sed
Scipio tenuit. Bella inter Antiochum Syriae et Phraa-
tem Parthorum regem gesta, nec magis quietae res
Aegypti referuntur. Ptolemaeus Euergetes cognomi-
natus, ob nimiam crudelitatem suis invisus, incensa a

populo regia clam Cypron profugit; et cum sorori
eius Cleopatrae, quam filia eius virgine per vim com-
pressa atque in matrimonium ducta repudiaverat, regnum
a populo datum esset, infensus filium quem ex illa ha-
bebat Cypri occidit, caputque eius et manus et pedes
625 matri misit. Seditiones a triumviris Fulvio Flacco et
C. Graccho et C. Papirio Carbone agro dividundo crea-
tis excitatae; quibus cum P. Scipio Africanus adversa-
retur, fortisque ac validus de die domum se recepis-
set, mortuus in cubiculo inventus est. Suspecta fuit,
tamquam ei venenum dedisset, Sempronia uxor, hinc
maxime quod soror esset Gracchorum, cum quibus si-
multas Africano fuerat. De morte tamen eius nulla
quaestio acta. Eo defuncto seditiones triumvirales
acrius exarserunt. C. Sempronius consul contra Iapy-
das primo rem male gessit; mox victoria cladem ac-
ceptam emendavit virtute D. Iunii Bruti, eius, qui Lu-
sitaniam subegerat.

Liber LX.

628 L. Aurelius consul rebellantes Sardos subegit. M.
629 Fulvius Flaccus primus Transalpinos Ligures bello do-
muit, missus in auxilium Massiliensibus adversus Sal-
luvios Gallos, qui fines Massiliensium populabantur.
629 L. Opimius praetor Fregellanos, qui defecerant, in de-
ditionem accepit, Fregellas diruit. Pestilentia in Africa
ab ingenti locustarum multitudine et deinde necatarum
strage fuisse traditur. Lustrum a censoribus conditum
est: censa sunt civium capita trecenta nonaginta milia
630 septingenta triginta sex. C. Gracchus, Tiberii frater,
tribunus plebis, eloquentior quam frater, perniciosas
631 aliquot leges tulit, inter quas frumentariam, «ut se-
misse et triente frumentum plebi daretur;» alteram

legem agrariam, quam et frater eius tulerat; tertiam, qua equestrem ordinem, tunc cum senatu consentientem, corrumperet, «ut sexcenti ex equitibus in curiam sublegerentur, et» (quia illis temporibus trecenti tantum senatores erant,) «sexcenti equites trecentis senatoribus admiscerentur,» id est, ut equester ordo bis tantum virium in senatu haberet. Et continuato in alte- 632
rum annum tribunatu, legibus agrariis latis effecit ut complures coloniae in Italia deducerentur, et una in solo dirutae Karthaginis; quo ipse triumvir creatus coloniam deduxit. Praeterea res a Q. Metello consule adversus Baliares gestas continet; quas Graeci Gymnesias appellant, quia aestatem nudi exigant. Baliares a teli missu appellati, aut a Baleo, Herculis comite, ibi relicto tunc cum Hercules ad Geryonem navigaret. Motus quoque Syriae referuntur, in quibus Cleopatra Demetrium virum suum et Seleucum filium, indignata quod occiso patre eius a se iniussu suo diadema sumpsisset, interemit.

Liber LXI.

C. Sextius proconsul victa Salluviorum gente coloniam Aquas Sextias condidit, ob aquarum copiam e calidis frigidisque fontibus, atque a nomine suo ita appellatas. Cn. Domitius proconsul adversus Allobrogas ad oppidum Vindalium feliciter pugnavit; quibus bellum inferendi causa fuit, quod Teutomalium Salluviorum regem fugientem recepissent et omni ope iuvissent, quodque Aeduorum agros, amicorum populi Romani, vastassent. C. Gracchus seditioso tribunatu acto, 633

28. *amicorum]* Codd. Berg. Boend. Ed. Campani, ex formula hac in necessitudine solita. *Sociorum* Drakenborch.

cum Aventinum quoque armata multitudine occupasset, a L. Opimio consule, ex senatus consulto vocato ad arma populo, pulsus et occisus est, et cum eo Fulvius
633 Flaccus consularis, socius eiusdem furoris. Q. Fabius Maximus consul, Paulli nepos, adversus Allobrogas et Bituitum Arvernorum regem feliciter pugnavit. Ex Bituiti exercitu caesa milia hominum centum viginti. Ipse cum ad satisfaciendum senatui Romam profectus esset, Albam custodiendus datus est, quia contra pacem videbatur, ut in Galliam remitteretur. Decretum quoque est ut Congentiatus filius eius comprehensus Romam mitteretur. Allobroges in deditionem accepti.
634 L. Opimius accusatus apud populum a Q. Decio tribuno plebis, quod indemnatos cives in carcerem coniecisset, absolutus est.

Liber LXII.

636 Q. Marcius consul Stoenos, gentem Alpinam, ex-
637 pugnavit. Micipsa Numidarum rex mortuus regnum tribus filiis reliquit, Adherbali, Hiempsali et Iugurthae, fratris filio, quem adoptaverat. L. Caecilius Metellus
638 Dalmatas subegit. Iugurtha Hiempsalem fratrem bello petiit, quem victum occidit; Adherbalem regno expulit: is a senatu restitutus est. L. Caecilius Metellus Cn. Domitius Ahenobarbus censores duos et triginta senatu moverunt. Praeterea motus Syriae regum continet.

Liber LXIII.

640 Cato Porcius consul in Thracia male adversus Scordiscos pugnavit. Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt civium capita trecenta nonaginta quattuor

6. Ex Fastis Triumphalibus Baiteri p. CLIX. legendum *Betultum* cet.

milia, trecenta triginta sex. Aemilia, Licinia, Marcia,
virgines Vestales, incesti damnatae sunt; idque ince-
stum quemadmodum et commissum et deprehensum et
vindicatum sit, refertur. Cimbri, gens vaga, popula- 641
bundi in Illyricum venerunt; ab iis Papirius Carbo
consul cum exercitu fusus est. Livius Drusus consul
adversus Scordiscos gentem a Gallis oriundam, in Thra-
cia feliciter pugnavit.

Liber LXIV.

Adherbal bello petitus a Iugurtha et in oppido Cirta 642
obsessus contra denuntiationem senatus ab eo occisus
est. Ob hoc ipsi Iugurthae bellum indictum; idque
Calpurnius Bestia consul gerere iussus pacem cum Iu- 643
gurtha iniussu populi et senatus fecit. Iugurtha fide
publica evocatus ad indicandos auctores consiliorum
suorum, quod multos pecunia in senatu corrupisse di-
cebatur, Romam venit; et propter caedem admissam
in regulum quendam nomine Massivam, qui regnum
eius populo Romano invisi affectabat, Romae inter-
fectum, cum periclitaretur causam capitis dicere ius-
sus, clam profugit, et cedens urbe fertur dixisse «O ur-
bem venalem, et cito perituram, si emptorem invene-
rit!» A. Postumius legatus infeliciter proelio adver- 644
sus Iugurtham gesto pacem quoque adiecit ignominio-
sam, quam non esse servandam senatus censuit.

Liber LXV.

Q. Caecilius Metellus consul duobus proeliis Iugur- 645
tham fudit totamque Numidiam vastavit. M. Iunius Si-
lanus consul adversus Cimbros infeliciter pugnavit.
Legatis Cimbrorum sedem et agros, in quibus consi-
sterent, postulantibus senatus negavit. M. Minucius

647 proconsul adversus Thracas prospere pugnavit. L. Cassius consul a Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum, qui a civitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu caesus est. Milites qui ex ea clade superaverant, obsidibus datis et dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt.

Liber LXVI.

648 Iugurtha pulsus a C. Mario Numidia, auxilio Bocchi Maurorum regis adiutus est; et caesis proelio Bocchi quoque copiis, nolente Boccho bellum infeliciter susceptum diutius sustinere, vinctus ab eo et Mario traditus est; in qua re praecipua opera L. Cornelii Sullae, quaestoris Marii, fuit.

Liber LXVII.

M. Aurelius Scaurus, legatus consulis, a Cimbris fuso exercitu captus est; et cum in consilium ab iis evocatus deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci non posse, a Boiorige feroci iuvene occisus est. Ab iisdem hosti-
649 bus Cn. Manlius consul et Q. Servilius Caepio proconsul victi proelio castrisque binis exuti sunt; militum milia octoginta occisa, calonum et lixarum quadraginta, secundum Arausionem. Caepionis, cuius temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt, primi post regem Tarquinium, imperiumque ei abrogatum.
650 In triumpho C. Marii ductus ante currum eius Iugur-

---

22. *quadraginta, secundum Arausionem. Caepionis]* Gronovii coniectura firmata ab Excerptis Pithoei. *quadraginta. Secundum populi Romani iussionem, Caepionis* volgo; quod servavit Drakenborchius, Gronoviana tamen εὐστοχίᾳ probata.

tha cum duobus filiis, et in carcere necatus est. Marius triumphali veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat; eique propter Cimbrici belli metum continuatus per complures annos magistratus est. Se- 651
cundo et tertio absens consul creatus, quartum consu- 652
latum dissimulanter captans consecutus est. Cn. Domitius pontifex maximus populi suffragio creatus est. Cimbri, vastatis omnibus quae inter Rhodanum et Py- 651
renaeum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi ibique multa loca populati, a Celtiberis fugati sunt; reversique in Galliam bellicosis se Teutonis coniunxerunt.

Liber LXVIII.

M. Antonius praetor in Ciliciam maritimos praedones persecutus est. C. Marius consul summa vi oppugnata a Teutonis et Ambronibus castra defendit. Duobus deinde proeliis circa Aquas Sextias eos hostes de- 652
levit, in quibus caesa traduntur hostium ducenta milia, capta nonaginta. Marius absens quintum consul creatus est. Triumphum oblatum, donec et Cimbros vinceret, distulit. Cimbri repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconsule, qui fauces Alpium obsederat et ad

---

11. *bellicosis]* Corruptum hoc. Codd.: *inbellicosi, imbelcosis, imbellicosis, in bellicosis* cet., in quibus rursus latet nomen proprium: *Bellici*, ut puto, quod oppidum est prope Lugdunum, hodie *Bellay*, vel *in Bellicis*, populi illius nomen. — 21. *Cimbri repulso - - traiecissent]* Locus foede corruptus, quem Gronovius ex vestigiis Codd. sic refingere conatus est: *Cimbri repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconsule, qui fauces Alpium obsidebat, flumen Athesim transgressi, castellum editum (Eduum* nom. propr. Cod. Sus.), *quod insederat, ut relinqueret, effecerunt; qui tamen in castello fuerunt, virtute sua expliciti fugientem proconsulem exercitumque consecuti sunt. In Italiam cum deinde traiecissent* cet. — (Florus 3, 3, 14: *In patentissimo, quem Raudium vocant, campo concurrere.*)

flumen Athesim castellum editum insederat reliqueratque, cum virtute sua expliciti fugientem proconsulem exercitumque consecuti in Italiam traiecissent, iunctis
653 eiusdem Catuli et C. Marii exercitibus proelio victi sunt ab eis, in quo caesa traduntur hostium centum quadraginta milia, capta sexaginta. Marius totius civitatis consensu exceptus, pro duobus triumphis, qui offerebantur, uno contentus fuit. Primores civitatis, qui aliquamdiu ut novo homini ad tantos honores evecto inviderant, conservatam ab eo rem publicam fatebantur. Publicius Malleolus matre occisa primus insutus culeo in mare praecipitatus est. Ancilia cum strepitu mota esse, antequam Cimbricum bellum consummaretur, referuntur. Bella praeterea inter Syriae reges gesta continet.

Liber LXIX.

654 L. Appuleius Saturninus adiuvante C. Mario, et per milites occiso A. Nonio competitore, tribunus plebis per vim creatus, non minus violenter tribunatum quam petierat gessit; et cum legem agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, eo quod in eam non iuraverat, diem dixit; qui cum a bonis civibus defenderetur, ne causa certaminum esset, in exsilium voluntarium Rhodum profectus est, ibique legendo et audiendis magnis viris avocabatur. Profecto C. Marius, seditionis auctor, qui sextum consulatum per tribus sparsa pecunia emerat, aqua et igni interdixit. Idem Appuleius Saturninus tribunus plebis C. Memmium candidatum consulatus, quem maxime adversarium actionibus suis timebat, occidit. Quibus rebus concitato senatu, in cuius causam et C. Marius, homo varii et mutabilis ingenii consiliique semper secundum fortunam, transierat, cum

eum tueri minime posset, oppressus armis cum Glaucia praetore et aliis eiusdem furoris sociis bello quodam interfectus est. Q. Caecilius Metellus ab exsilio ingenti totius civitatis favore reductus est. M'. Aquillius proconsul in Sicilia bellum servile excitatum confecit.

Liber LXX.

Cum M'. Aquillius de pecuniis repetundis causam
diceret, ipse iudices rogare noluit. M. Antonius, qui
pro eo perorabat, tunicam a pectore eius discidit, ut
honestas cicatrices ostenderet; quibus conspectis indu-
bitanter absolutus est. Cicero eius rei solus auctor.
T. Didius proconsul adversus Celtiberos feliciter pugna- 657
vit. Ptolemaeus Cyrenarum rex, cui cognomentum Api- 658
oni fuit, mortuus heredem populum Romanum reliquit,
et eius regni civitates senatus liberas esse iussit. Ario- 662
barzanes in regnum Cappadociae a L. Cornelio Sulla
reductus est. Parthorum legati, a rege Arsace missi,
venerunt ad Sullam, ut amicitiam populi Romani pete-
rent. P. Rutilius, vir summae innocentiae, quoniam 662
legatus Q. Mucii proconsulis a publicanorum iniuriis
Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem
iudicia erant, repetundarum damnatus in exsilium missus est. C. Sentius praetor contra Thracas infeliciter pugnavit. Senatus cum impotentiam equestris ordinis in iudiciis exercendis ferre nollet, omni vi niti coepit, ut ad se iudicia transferrentur, sustinente causam eius M. Livio Druso tribuno plebis, qui ut vires sibi acquireret, perniciosa spe largitionum plebem concitavit. Praeterea motus Syriae regum continet.

---

2. *bello*] *a Rabirio* Sigonius.

Liber LXXI.

663 M. Livius Drusus tribunus plebis ut maioribus viribus senatus causam susceptam tueretur, socios et Italicos populos spe civitatis Romanae sollicitavit; iisque adiuvantibus, per vim legibus agrariis frumentariisque latis, iudiciariam quoque pertulit, «ut aequa parte iudicia penes senatum et equestrem ordinem essent.» Cum deinde promissa sociis civitas praestari non posset, irati Italici defectionem agitare coeperunt. Eorum coitus coniurationesque et orationes in conciliis principum referuntur. Propter quae Livius Drusus invisus etiam senatui factus velut socialis belli auctor, incertum a quo, domi occisus est.

Liber LXXII.

Italici populi defecerunt Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Samnites, Lucani, initio belli a Pi-

---

9. *coitus*] *conventus* Cod. Berg. *coitiones* Dukerus et Crevierius. — 15. Velleius 2, 16: *Caput imperii sui Corfinium legerant, quod appellarunt Italicam.* Diodori Excerpta p. 538: Ἐπολέμουν δὲ Ῥωμαίοις Σαυνῖται, Ἀσκολανοί, Λευκανοί, Πικεντηνοί, Νωλανοί, καὶ ἕτεραι πόλεις καὶ ἔθνη, ἐν οἷς ἐπισημοτάτη καὶ μεγίστη καὶ κοινὴ πόλις ἄρτι συντετελεσμένη τοῖς Ἰταλιώταις τὸ Κορφίνιον ἦν, ἐν ᾗ τά τε ἄλλα ὅσα μεγάλην πόλιν καὶ ἀρχὴν κρατύνουσι συνεστήσαντο καὶ ἀγορὰν εὐμεγέθη καὶ βουλευτήριον, καὶ τὰ ἄλλα τὰ πρὸς πόλεμον ἀφθόνως ἅπαντα, καὶ χρημάτων πλῆθος, καὶ τροφῆς δαψιλῆ χορηγίαν. Συνεστήσαντο δὲ καὶ σύγκλητον κοινὴν πεντακοσίων ἀνδρῶν, ἐξ ὧν οἵ τε τῆς πατρίδος ἄρχειν ἄξιοι προαχθήσεσθαι ἔμελλον [καὶ οἱ προβουλεύεσθαι δυνάμενοι περὶ τῆς

centibus moto. Q. Servilius proconsul in oppido Asculo cum omnibus civibus Romanis, qui in eo oppido erant, occisus est. Saga populus sumpsit. Ser. Galba a Lucanis comprehensus unius feminae opera, ad quam devertebatur, captivitate exemptus est. Aesernia et Alba coloniae ab Italicis obsessae sunt. Auxilia deinde Latini nominis externarumque gentium missa populo Romano, et expeditiones in vicem expugnationesque urbium referuntur.

Liber LXXIII.

L. Iulius Caesar consul male adversus Samnites 664
pugnavit. Nola colonia in potestatem Samnitium venit cum L. Postumio praetore, qui ab iis interfectus est. Complures populi ad hostes defecerunt. Cum P. Rutilius consul male adversus hostes Marsos pugnasset et in proelio cecidisset, C. Marius legatus eius meliore eventu cum hostibus conflixit. Ser. Sulpicius Pelignos proelio fudit. Q. Caepio legatus Rutilii cum obsessus prospere in hostes erupisset et ob eum successum aequatum ei cum C. Mario esset imperium, temerarius factus et circumventus insidiis fuso exercitu cecidit. L. Iulius Caesar consul feliciter adversus Samnites pugnavit. Ob eam victoriam Romae saga posita sunt. Et ut varia belli fortuna esset, Aesernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium venit. Sed C. Marius proelio Marsos fudit, Herio Asinio praetore Mar-

---

κοινῆς σωτηρίας. καὶ τούτοις ἐπέτρεψαν τὰ κατὰ τὸν πόλεμον διοικεῖν, αὐτοκράτορας ποιήσαντες τοὺς συνέδρους. οὗτοι δ' ἐνομοθέτησαν δύο μὲν ὑπάτους κατ' ἐνιαυτὸν αἱρεῖσθαι, δώδεκα δὲ στρατηγούς.

rucinorum occiso. C. Caecilius in Gallia Transalpina Salluvios rebellantes vicit.

Liber LXXIV.

Cn. Pompeius Picentes proelio fudit et obsedit; propter quam victoriam Romae praetextae et alia magistratuum insignia sumpta sunt. C. Marius cum Marsis dubio eventu pugnavit. Libertini tum primum militare coeperunt. A. Plotius legatus Umbros, L. Porcius praetor Marsos, cum uterque populus defecisset, proelio vicerunt. Nicomedes in Bithyniae, Ariobarzanes in Cappadociae regna reducti sunt. Cn. Pompeius consul Marsos acie vicit. Cum aere alieno oppressa esset civitas, A. Sempronius Asellio praetor, quoniam secundum debitores ius dicebat, ab iis qui fenerabantur in foro occisus est. Praeterea incursiones Thracum in Macedoniam populationesque continet.

Liber LXXV.

A. Postumius Albinus legatus cum classi praeesset, infamis crimine proditionis ab exercitu suo interfectus est. L. Cornelius Sulla legatus Samnites proelio vicit, et bina castra eorum expugnavit. Cn. Pompeius Vestinos in deditionem accepit. L. Porcius consul rebus prospere gestis fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit: ea res hostibus victoriam eius proelii dedit. Cosconius et Lucceius Samnites acie vicerunt, Marium Egnatium, nobilissimum hostium ducem, occiderunt, compluraque eorum oppida in deditionem acceperunt. L. Sulla Hirpinos domuit, Sam-

---

6. *sumpta*] *resumpta* Dukerus. — 18. *classi*] Vocabulum corruptum; lego *Clusii*, collato Appiano B. C. 1, 93. —

nites multis proeliis fudit, aliquot populos recepit; quantisque raro quisquam alius ante consulatum rebus gestis, ad petitionem consulatus Romam est profectus.

Liber LXXVI.

A. Gabinius legatus rebus adversus Lucanos prospere gestis, et plurimis oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpicius legatus Marrucinos cecidit, totamque eam regionem recepit. Cn. Pompeius proconsul Vestinos et Pelignos in deditionem accepit. Marsi quoque, a L. Murena et Caecilio Pinna legatis aliquot proeliis fracti, petere pacem coeperunt. Asculum a Cn. Pompeio captum est, cae- 665 sis et a Mam. Aemilio legato Italicis. Silo Pompaedius dux Marsorum, auctor huius rei, in proelio cecidit. Ariobarzanes Cappadociae, Nicomedes Bithyniae regno a Mithridate Ponti rege pulsi sunt. Praeterea incursiones Thracum in Macedoniam populationesque continet.

Liber LXXVII.

Cum P. Sulpicius tribunus plebis auctore C. Mario 666 perniciosas leges promulgasset, «ut exsules revocarentur et novi cives libertinique distribuerentur in tribus, et ut C. Marius adversus Mithridatem Ponti regem dux crearetur,» et adversantibus consulibus Q. Pompeio et L. Sullae vim intulisset, occiso Q. Pompeio consulis filio, genero Sullae, L. Sulla consul cum exercitu in urbem venit, et adversus factionem Sulpicii et Marii in ipsa urbe pugnavit, eamque expulit; ex qua duode-

---

11. *Pinna*] *Pio* Sigonius et Gronovius. — *petere pacem coeperunt*] Codd. optimi. *pacem petierunt* Vulgo, Drakenborch.

cim a senatu hostes, inter quos C. Marius pater et filius, iudicati sunt. P. Sulpicius, cum in quadam villa lateret, indicio servi sui retractus et occisus est. Servus, ut praemium promissum indici haberet, manumissus, et ob scelus proditi domini de saxo deiectus est. C. Marius filius in Africam traiecit. C. Marius pater cum in paludibus Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis; et cum missus ad occidendum eum servus, natione Gallus, maiestate tanti viri perterritus recessisset, impositus publice in navim delatus est in Africam. L. Sulla civitatis statum ordinavit, exinde colonias deduxit. Q. Pompeius consul, ad accipiendum a Cn. Pompeio proconsule exercitum profectus, consilio eius occisus est. Mithridates Ponti rex, Bithynia et Cappadocia occupatis, et pulso Aquillio legato, Phrygiam, provinciam populi Romani, cum ingenti exercitu intravit.

Liber LXXVIII.

Mithridates Asiam occupavit; Q. Oppium proconsulem, item Aquillium legatum, in vincula coniecit; iussuque eius, quicquid civium Romanorum in Asia fuit, uno die trucidatum est. Urbem Rhodum, quae sola in fide permanserat, oppugnavit, et aliquot proeliis navali-
667 bus victus recessit. Archelaus praefectus regis in Graeciam cum exercitu venit, Athenas occupavit. Praeterea trepidationem urbium insularumque, aliis ad Mithridatem, aliis ad populum Romanum civitates suas trahentibus, continet.

Liber LXXIX.

667 L. Cornelius Cinna cum perniciosas leges per vim atque arma ferret, pulsus urbe a Cn. Octavio collega

1. *C. Marius*] *C. Marii* Gronovius. — 21. *in fide permanserat*] *in fide P. R. manserat* Excerpta Pithoei.

cum sex tribunis plebis; imperioque ei abrogato, corruptum Ap. Claudii exercitum in potestatem suam redegit et bellum urbi intulit, arcessito C. Mario ex Africa cum aliis exsulibus; in quo bello duo fratres, alter ex Pompeii exercitu, alter ex Cinnae, ignorantes concurrerunt, et cum victor spoliaret occisum, agnito fratre, ingenti lamentatione edita, rogo ei exstructo, ipse supra rogum se transfodit, et eodem igni consumptus est. Et cum opprimi inter initia potuissent, Cn. Pompeii fraude, qui utramque partem fovendo vires Cinnae dedit nec nisi profligatis optimatium rebus auxilium tulit, et consulis segnitie confirmati Cinna et Marius quattuor exercitibus, ex quibus duo Q. Sertorio et Carboni dati sunt, urbem circumsederunt. Ostiam coloniam Marius expugnavit et crudeliter diripuit.

Liber LXXX.

Italicis populis a senatu civitas data est. Samnites, qui soli arma retinebant, Cinnae et Mario se coniunxerunt. Ab iis Plautius cum exercitu caesus est. Cinna et Marius cum Carbone et Sertorio Ianiculum occupaverunt, et fugati ab Octavio consule recesserunt. Marius Antium et Ariciam et Lanuvium colonias devastavit. Cum nulla spes esset optimatibus resistendi propter segnitiem et perfidiam et ducum et militum, qui corrupti aut pugnare nolebant aut ad diversas partes transibant, Cinna et Marius in urbem recepti sunt; qui velut captam eam caedibus et rapinis vastarunt, Cn. Octavio consule occiso et omnibus adversae partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio eloquentissimo viro, L. et C. Caesare, quorum capita in Rostris

---

33. *Caesare*] *Caesaribus* Gronovius.

posita sunt. Crassus filius ab equitibus Fimbriae occisus. Pater Crassus, ne quid indignum virtute sua pateretur, gladio se transfixit. Et citra ulla comitia consules in sequentem annum se ipsos renuntiaverunt; eodemque die, quo magistratum inierant, Marius Sex. Licinium senatorem de saxo deiici iussit, editisque mul-
668 tis sceleribus Idibus Ianuariis decessit, vir cuius si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior an pace perniciosior fuerit. Adeo, quam rem publicam armatus servavit, eam primo togatus omni genere fraudis, postremo armis hostiliter evertit.

Liber LXXXI.

668 L. Sulla Athenas, quas Archelaus praefectus Mithridatis occuparat, circumsedit et cum magno labore expugnavit. Urbi libertatem, et civibus quae habuerant, reddidit. Magnesia, quae sola in Asia civitas in fide manserat, summa virtute adversus Mithridatem defensa est. Praeterea Thracum in Macedonia continet gesta.

Liber LXXXII.

Sulla copias regis, quae Macedonia occupata in Thessaliam venerant, proelio vicit, caesis hostium centum milibus et castris quoque expugnatis. Renovato deinde bello iterum exercitum regis fudit ac delevit. Archelaus cum classe regia Sullae se tradidit. L. Va-
669 lerius Flaccus consul, collega Cinnae, missus ut Sullae succederet, propter avaritiam invisus exercitui suo, a C. Fimbria legato ipsius, ultimae audaciae homine,

---

17. *Magnesia*] ad Sipylum.

occisus est, et imperium ad Fimbriam translatum. Praeterea expugnatae in Asia urbes a Mithridate, et crudeliter direpta provincia incursionesque Thracum in Macedoniam referuntur.

Liber LXXXIII.

C. Fimbria in Asia fusis proelio aliquot praefectis Mithridatis urbem Pergamum cepit, obsessumque regem non multum abfuit quin caperet. Urbem Ilion, quae se potestati Sullae reservabat, expugnavit ac delevit, et magnam partem Asiae recepit. Sulla multis proeliis Thracas cecidit. Cum L. Cinna et Cn. Papirius Carbo ab se ipsis consules per biennium creati bellum contra Sullam pararent, effectum est per L. Valerium Flaccum principem senatus, qui orationem in senatu habuit, et per eos qui concordiae studebant, ut legati ad Sullam de pace mitterentur. Cinna ab exercitu suo, quem invitum cogebat naves conscendere et adversus Sullam proficisci, interfectus est. Consulatum Carbo solus ges- 670
sit. Sulla cum in Asiam traiecisset, pacem cum Mithridate fecit, ita ut is cederet provinciis Asia, Bithynia, Cappadocia. Fimbria desertus ab exercitu, qui ad Sullam transierat, ipse se percussit; impetravitque de servo suo, praebens cervicem, ut se occideret.

Liber LXXXIV.

Sulla legatis, qui a senatu missi erant, futurum se in potestate senatus respondit, si cives, qui pulsi a Cinna ad se confugerant, restituerentur. Quae condicio cum iusta senatui videretur, per Carbonem factionemque eius, cui bellum videbatur utilius, ne conveniret, effectum est. Idem Carbo cum ab omnibus oppidis Italiae coloniisque obsides exigere vellet, ut fidem

eorum contra Sullam obligaret, consensu senatus prohibitus est. Novis civibus senatus consulto suffragium datum est. Q. Metellus Pius, qui partes optimatium secutus erat, cum in Africa bellum moliretur, a C. Fabio praetore pulsus est; senatusque consultum per factionem Carbonis et Marianarum partium factum est, ut omnes ubique exercitus dimitterentur. Libertini in quinque et triginta tribus distributi sunt. Praeterea belli apparatum, quod contra Sullam excitabatur, continet.

Liber LXXXV.

671 Sulla in Italiam cum exercitu traiecit, missisque legatis qui de pace agerent, a consule C. Norbano violatis, eundem Norbanum proelio vicit. Et cum L. Scipionis alterius consulis, cum quo per omnia id egerat ut pacem iungeret, nec potuerat, castra oppugnaturus esset, universus exercitus consulis sollicitatus per emissos a Sulla milites signa ad Sullam transtulit. Scipio cum occidi posset, dimissus est. Cn. Pompeius, Cn. F. eius qui Asculum ceperat, conscripto voluntariorum exercitu cum tribus legionibus ad Sullam venerat; ad quem se nobilitas omnis conferebat, ita ut deserta urbe ad castra veniretur. Praeterea expeditiones per totam Italiam utriusque partis ducum referuntur.

Liber LXXXVI.

672 Cum C. Marius C. Marii filius consul ante annos viginti per vim creatus esset, C. Fabius in Africa propter

---

26. *viginti*] *XXV*. Scriptor de Viris illustr. 68. *XXVI*. Velleius 2, 26. quod rectius est. Ceterum Gronovius deleto *Cum* legendum coniecit: *C. Marius - - creatus est. C. Fabius* cet.

crudelitatem et avaritiam in praetorio suo vivus exustus est. L. Philippus legatus Sullae Sardiniam, Q. Antonio praetore pulso et occiso, occupavit. Sulla cum Italicis populis, ne timeretur ab iis velut erepturus civitatem et suffragii ius nuper datum, foedus percussit. Idemque ex fiducia iam certae victoriae litigatores, a quibus adibatur, vadimonia Romam differre iussit, cum a parte diversa urbs adhuc teneretur. L. Damasippus praetor ex voluntate C. Marii consulis cum senatum contraxisset, omnem quae in urbe erat nobilitatem trucidavit; ex cuius numero Q. Mucius Scaevola pontifex maximus fugiens in vestibulo aedis Vestae occisus est. Praeterea bellum a L. Murena adversus Mithridatem in Asia renovatum continet.

Liber LXXXVII.

Sulla C. Marium, exercitu eius fuso deletoque ad Sacriportum, in oppido Praeneste obsedit. Urbem Romam ex inimicorum manibus recepit. Marium erumpere tentantem reppulit. Praeterea res a legatis eius, eadem ubique fortuna partium, gestas continet.

Liber LXXXVIII.

Sulla Carbonem, exercitu eius fuso ad Clusium, ad 672
Faventiam Fidentiamque caeso, Italia expulit; cum Samnitibus, qui soli ex Italicis populis nondum arma posuerant, iuxta urbem Romanam ante portam Collinam debellavit; recuperataque re publica, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum fuit, inquinavit. Octo milia deditorum in villa publica trucidavit; tabulam proscriptionis proposuit; urbem ac

29. *proposuit* auctore Drakenborchio Bekkerus: libri *posuit*.

totam Italiam caedibus replevit, inter quas omnes Praenestinos inermes concidi iussit, Marium senatorii ordinis virum cruribus brachiisque fractis, auribus praesectis et effossis oculis necavit. C. Marius Praeneste obsessus a Lucretio Ofella Sullanarum partium viro, cum per cuniculum captaret evadere, saeptus ab exercitu mortem sibi conscivit: id est, in ipso cuniculo, cum sentiret se evadere non posse, cum Pontio Telesino fugae comite stricto utrinque gladio concurrit: quem cum occidisset, ipse saucius impetravit a servo, ut se occideret.

Liber LXXXIX.

M. Brutus a Cn. Papirio Carbone, qui Cossuram appulerat, missus nave piscatoria Lilybaeum, ut exploraret, an ibi Pompeius esset, et circumventus a navibus quas Pompeius miserat, in se mucrone verso ad transtrum navis obnixus corporis pondere ei incubuit. Cn. Pompeius in Siciliam cum imperio a senatu missus Cn. Carbonem, qui flens muliebriter mortem tulit, captum occidit. Sulla dictator factus, quod nemo unquam
673 fecerat, cum fascibus viginti quattuor processit. Legibus novis rei publicae statum confirmavit, tribunorum plebis potestatem minuit, et omne ius legum ferendarum ademit. Pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim; senatum ex equestri ordine supplevit; proscriptorum liberis ius petendorum hono-

7. Vv. *mortem sibi conscivit. Id est* delevit Crevierius. — 20. Vv. *quod nemo unquam fecerat* suspecta Lipsio. Freinshemius in Supplemento huiusce libri Cap. 9: *Formidabilis inde et nova species procedentis in publicum fuit, cum, ut solitum dictatoribus, quattuor et viginti fasces praecederent; quod nemo praesentium unquam viderat.* — 21. *Legibus* Gronovius: libri *rebus.*

rum eripuit, et bona eorum vendidit, ex quibus plurima
primo rapuit. Redactum est sestertium termilies quin-
genties. Q. Lucretium Ofellam, consulatum adversus
voluntatem suam petere ausum, iussit occidi in foro;
et cum hoc indigne ferret populus Romanus, contione
advocata se iussisse dixit. Cn. Pompeius in Africa
Cn. Domitium proscriptum et Hiarbam regem Numidiae,
bellum molientes, victos occidit; et quattuor et viginti
annos natus, adhuc eques Romanus, quod nulli conti-
gerat, ex Africa triumphavit. C. Norbanus consularis
proscriptus, in urbe Rhodo cum comprehenderetur, ipse
se occidit. Mutilus, unus ex proscriptis, clam capite
adoperto ad posticas aedes Bastiae uxoris cum acces-
sisset, admissus non est, quia illum proscriptum dice-
ret; itaque se transfodit et sanguine suo fores uxoris
respersit. Sulla Nolam in Samnio recepit. Quadra- 674
ginta septem legiones in agros captos deduxit, et eos
iis divisit. Volaterras, quod oppidum adhuc in armis 675
erat, obsessum in deditionem accepit. Mytilenae quo-
que in Asia, quae sola urbs post victum Mithridatem
arma retinebat, expugnatae dirutaeque sunt.

Liber XC.

Sulla decessit, honosque ei a senatu habitus est, ut 676
in campo Martio sepeliretur. M. Aemilius Lepidus cum
acta Sullae tentaret rescindere, bellum excitavit, et a
Q. Catulo collega Italia pulsus est, et in Sardinia fru-
stra bellum molitus periit. M. Brutus, qui Cisalpinam 677
Galliam obtinebat, a Cn. Pompeio occisus est. Q. Ser- 678

2. *primo*] *praemia* Codd. Barber. et Gud. minor. — 16. *in Samnio*] *a Samnitibus* auctore Gronovio Bekkerus. — *Quadraginta septem*] *XXVII.* suspicatus est Drakenborchius.

torius proscriptus in ulteriore Hispania ingens bellum excitavit. L. Manlius proconsul et L. Domitius legatus ab Hirtuleio quaestore proelio victi sunt. Praeterea res a P. Servilio proconsule adversus Cilicas gestas continet.

Liber XCI.

Cn. Pompeius, cum adhuc eques R. esset, cum imperio consulari adversus Sertorium missus est. Sertorius aliquot urbes expugnavit, plurimasque civitates in potestatem suam redegit. Ap. Claudius proconsul Thracas pluribus proeliis vicit. Q. Metellus proconsul L. Hirtuleium quaestorem Sertorii cum exercitu cecidit.

Liber XCII.

Cn. Pompeius dubio eventu cum Sertorio pugnavit, ita ut singula ex utraque parte cornua vicerint. Q. Metellus Sertorium et Perpernam cum duobus exercitibus proelio fudit; cuius victoriae partem cupiens ferre Pompeius parum prospere pugnavit. Obsessus deinde Cluniae Sertorius assiduis eruptionibus non leviora damna obsidentibus intulit. Praeterea ab Curione proconsule in Thracia res gestas adversus Dardanos, et Q. Sertorii multa crudelia in suos facta continet, qui plurimos ex amicis et secum proscriptis crimine proditionis insimulatos occidit.

---

2. *L. Domitius*] auctore Eutropio 6, 1. Sigonius et Bekkerus: libri *M. Domitius*. „Gentem Domitiam nulla praenomina praeterquam *Cnaei* et *Lucii* usurpasse ex Suetonio Ner. 1. notum est." Duk. — 3. *Hirtuleio* Livii Fragm. Libri XCI. Frobenius 1535. Bekkerus: *Herculeio* cum Epitomae libris Drakenborch. — 7. *eques R.*] Sigonius: *eques* e Cod. Voss. Drakenborch. Ceteri libri vel *equester* vel *quaestor*. — 15. *singula*] *sinistra* Gronovii suspicio. — 22. *multa crudelia*] Cfr. tamen Plutarchi Sertor. 25.

Liber XCIII.

P. Servilius proconsul in Cilicia Isauros domuit, et
aliquot urbes piratarum expugnavit. Nicomedes Bithy- 679
niae rex moriens populum Romanum fecit heredem,
regnumque eius in provinciae formam redactum est.
Mithridates foedere cum Sertorio icto bellum populo
Romano intulit. Apparatus deinde regiarum copiarum
pedestrium navaliumque, et occupata Bithynia, M. Au-
relius Cotta consul ad Chalcedonem proelio a rege
victus, resque a Pompeio et Metello adversus Serto-
rium gestae, qui omnibus belli militiaeque artibus par
fuit. Quos etiam ab obsidione Calagurris oppidi de-
pulsos coëgit diversas regiones petere, Metellum ulte-
riorem Hispaniam, Pompeium Galliam.

Liber XCIV.

L. Licinius Lucullus consul adversus Mithridatem 680
equestribus proeliis feliciter pugnavit, et expeditiones
aliquot prosperas fecit, poscentesque pugnam milites a
seditione inhibuit. Deiotarus Gallograeciae tetrarches
praefectos Mithridatis bellum in Phrygia moventes ce-
cidit. Praeterea res a Cn. Pompeio in Hispania con-
tra Sertorium prospere gestas continet.

Liber XCV.

C. Curio proconsul Dardanos in Thracia domuit.
Quattuor et septuaginta gladiatores Capuae ex ludo 681
Lentuli profugerunt, et congregata servitiorum erga-

---

2. *P. Servilius*] De Isauris triumphavit a. u. c. 681. — 10. *victus, resque - - gestae, qui*] e Codd. vestigiis et de Drakenborchii fere sententia Bekkerus: *victus est. Resque - - gestas continet; qui* Drakenborchii editio.

stulorumque multitudine, Crixo et Spartaco ducibus bello excitato, Claudium Pulchrum legatum et P. Varinium praetorem proelio vicerunt. L. Lucullus proconsul ad Cyzicum urbem exercitum Mithridatis fame ferroque delevit; pulsumque Bithynia regem, variis belli ac naufragiorum casibus fractum, coëgit in Pontum profugere.

Liber XCVI.

Q. Arrius praetor Crixum fugitivorum ducem cum
682 viginti milibus hominum cecidit. Cn. Lentulus consul male adversus Spartacum pugnavit. Ab eodem L. Gellius consul et Q. Arrius praetor acie victi sunt. Sertorius a M'. Antonio et M. Perperna et aliis coniuratis in convivio interfectus est, octavo ducatus sui anno, magnus dux, et adversus duos imperatores, Pompeium et Metellum, saepe par vel frequentius victor, ad ultimum desertus et proditus. Imperium partium ad M. Perpernam translatum est; quem Cn. Pompeius victum captumque interfecit, ac recepit Hispanias decimo fere anno quam coeptum erat bellum. C. Cassius proconsul et Cn. Manlius praetor male adversus Spartacum pugnaverunt; idque bellum M. Crasso praetori mandatum est.

Liber XCVII.

683 M. Crassus praetor primum cum parte fugitivorum, quae ex Gallis Germanisque constabat, feliciter pugnavit, caesis hostium triginta quinque milibus et duce

---

2. *P Varinium* auctore Sigonio Bekkerus: libri et Drak. *P. Varenum*. Cfr. Onomastic. meum Cic. in h. v. — 16. *ad ultimum et saevus et prodigus* Codd. plerique. Exciditne *a suis* post v. *desertus* vel post v. *proditus*? — 17. *ad M. Perpernam,* ut voluerat Perizonius, Cod. Lov. 2. Bekkerus: *ad Marcum* Drakenborch.

eorum Gannico. Cum Spartaco deinde debellavit, caesis cum ipso milibus sexaginta. M. Antonius praetor bellum adversus Cretenses parum prospere gestum morte sua finivit. M. Lucullus proconsul Thracas subegit. L. Lucullus in Ponto adversus Mithridatem feliciter pugnavit, caesis hostium amplius quam sexaginta milibus. M. Crassus et Cn. Pompeius consules facti (sed Pompeius, 684 antequam quaesturam gereret, ex equite Romano) tribuniciam potestatem restituerunt. Iudicia quoque per L. Aurelium Cottam praetorem ad equites Romanos translata sunt. Mithridates desperatione rerum suarum coactus ad Tigranem Armeniae regem confugit.

Liber XCVIII.

Machares filius Mithridatis, Bospori rex, ab L. Lucullo in amicitiam receptus est. Cn. Lentulus et L. Gellius censores asperam censuram egerunt, quattuor et sexaginta senatu motis; a quibus lustro condito censa sunt civium capita quadringenta quinquaginta milia. L. Metellus praetor in Sicilia adversus piratas prospere rem gessit. Templum Iovis in Capitolio, quod 685 incendio consumptum ac refectum erat, a Q. Catulo dedicatum est. L. Lucullus in Armenia Mithridatem et Tigranem et ingentes utriusque regis copias pluribus proeliis fudit. Q. Metellus proconsul bello sibi adver- 686

---

1. *Gannico*] ex optimis Codd. Bekkerus: *Granico* Drakenborch. — *deinde debellavit* auctoribus Perizonio et Drakenborchio Bekkerus: *deinde bellavit* cum libris Drakenborch. — 3. *gestum* cum optt. Codd. Bekkerus: *susceptum* cum Grutero Drak. — 10. Asconius Pedianus in Cornelianam p. 67. Ed. Baiteri: *L. Cotta lege sua iudicia inter tres ordines communicavit, senatum, equites, tribunos aerarios.* — 18. *DCCC.* Lov. 2. *nongenta milia* Leid. Voss. *DCCCCL. milia* Berg. Boend. Exc. Pithoei. Dukerum et Drakenborchium sequitur Zumptius Ann. p. 99. Ed. alt.

687 sus Cretenses mandato Cydoniam urbem obsedit. C. Triarius legatus Luculli adversus Mithridatem parum prospere pugnavit. Lucullum, ne persequeretur Mithridatem ac Tigranem summamque victoriae imponeret, seditio militum tenuit, quia sequi nolebant, id est, quia legiones Valerianae impleta a se stipendia dicentes Lucullum reliquerunt.

Liber XCIX.

Q. Metellus proconsul Gnosson et Lyctum et Cydoniam et alias plurimas urbes expugnavit. L. Roscius tribunus plebis legem tulit, «ut equitibus Romanis in theatro quattuordecim gradus proximi assignarentur.» Cn. Pompeius lege ad populum lata persequi piratas iussus, qui commercium annonae intercluserant, intra quadragesimum diem toto mari eos expulit; belloque cum iis in Cilicia confecto, acceptis in deditionem piratis agros et urbes dedit. Praeterea res gestas a Q. Metello adversus Cretenses continet, et epistolas Metelli et Cn. Pompeii in vicem missas. Queritur Metellus gloriam sibi rerum gestarum a Pompeio praeripi, qui in Cretam miserit legatum suum ad accipiendas urbium deditiones. Pompeius rationem reddit hoc se facere debuisse.

Liber C.

688 C. Manilius tribunus plebis magna indignatione nobilitatis legem tulit, «ut Pompeio Mithridaticum bellum mandaretur.» Contio eius [bona]. Q. Metellus perdomitis Cretensibus liberae in id tempus insulae leges

---

12. *proximi*] „Vel excidit v. *orchestrae*, e qua senatus spectabat, vel leg. *primi*." Duk. — 27. V. *bona* ab interpolatore inculcatum videtur.

dedit. Cn. Pompeius ad gerendum bellum adversus Mithridatem profectus cum rege Parthorum Phraate amicitiam renovavit, equestri proelio Mithridatem vicit. Praeterea bellum inter Phraatem Parthorum regem et Tigranem Armeniorum, ac deinde inter Tigranem filium patremque gestum, continet.

Liber CI.

Cn. Pompeius Mithridatem nocturno proelio victum coëgit Bosporon profugere. Tigranem in deditionem accepit, eique ademptis Syria Phoenice Cilicia, regnum Armeniae restituit. Coniuratio eorum, qui in petitione consulatus ambitus damnati erant, facta de interficiendis consulibus, oppressa est. Cn. Pompeius, cum Mi- 689
thridatem persequeretur, in ultimas ignotasque gentes penetravit; Iberos Albanosque, qui transitum non dabant, proelio vicit. Praeterea fugam Mithridatis per Colchos Heniochosque, et res ab eo in Bosporo gestas continet.

Liber CII.

Cn. Pompeius in provinciae formam Pontum rede- 691
git. Pharnaces filius Mithridatis bellum patri intulit. Ab eo Mithridates obsessus in regia, cum veneno sumpto parum profecisset ad mortem, a milite Gallo nomine Bitoeto, a quo ut adiuvaret se petierat, interfectus est. Cn. Pompeius Iudaeos subegit; fanum eorum [in] Hierosolyma, inviolatum ad id tempus, cepit. L. Catilina,

---

11. *Coniuratio eorum*] „Hi erant P. Autronius et P. Sulla, quibus Dio 36, 21. socios coniurationis addit Catilinam et Cn. Pisonem et alii apud Sueton. Caes. 9. etiam Crassum et Caesarem." Duk. — 25. *fanum eorum in Hierosolyma*] Praepositionem omittunt Codd. plerique, ut sit appositio, *fanum eorum, Hierosolyma*, plural. gen. neutrius; id quod rectius est.

bis repulsam in petitione consulatus passus, cum Lentulo praetore et Cethego et pluribus aliis coniuravit de caede consulum et senatus, incendiis urbis et opprimenda re publica, exercitu quoque in Etruria comparato. Ea coniuratio industria M. Tullii Ciceronis eruta est. Catilina urbe pulso, de reliquis coniuratis supplicium sumptum est.

Liber CIII.

692 Catilina a C. Antonio proconsule cum exercitu caesus est. P. Clodius accusatus quod in habitu muliebri in sacrarium, in quod virum intrare nefas est, intrasset et uxorem maximi pontificis stuprasset, absolutus est. C. Pomptinius praetor Allobrogas, qui rebellave-
693 rant, ad Solonem domuit. P. Clodius ad plebem transiit. C. Caesar Lusitanos subegit; eoque consulatus candidato et captante rem publicam invadere, conspiratio inter tres principes civitatis facta est, Cn. Pompeium, M. Crassum, C. Caesarem. Leges agrariae a Caesare consule cum magna contentione, invito senatu et altero consule M. Bibulo, latae sunt. C. Antonius proconsul in Thracia parum prospere rem gessit. M. Cicero lege a P. Clodio tribuno plebis lata, quod indemnatos cives necavisset, in exsilium missus est. Caesar in provinciam Galliam profectus Helvetios, vagam gentem, domuit, quae sedem quaerens per provinciam Caesaris Narbonem iter facere volebat. Praeterea situm Gallia-
693 rum continet. Pompeius de liberis Mithridatis, Tigrane

---

13. *C. Pomptinius*] Haec vera est huius nominis scriptura, ubique fere oblitterata. *C. Pontinius* Drakenborch. — 14. *Solonem*] Σολώνιον vocat Dio Cass. 37, 48. — 16. *conspiratio*] „*Triumviratus* ab urbanis dictus.“ Zumpt. — 26. *Narbonem*] *Narbonensem* Gronovii suspicio. — 27. Gronovius scriptorem potius quam librarios corrigens proposuit: *Pom-*

et Tigranis filio triumphavit, Magnusque a tota contione consalutatus est.

Liber CIV.

Prima pars libri situm Germaniae moresque continet. C. Caesar cum adversus Germanos, qui Ariovisto 696
duce in Galliam transcenderant, exercitum duceret, rogatus ab Aeduis et Sequanis, quorum ager possidebatur, trepidationem militum propter metum novorum hostium ortam allocutione exercitus inhibuit, et victos proelio Germanos Gallia expulit. M. Cicero Pompeio 697
inter alios orante, et T. Annio Milone tribuno plebis agente, ingenti gaudio senatus ac totius Italiae ab exsilio reductus est. Cn. Pompeio per quinquennium annonae cura mandata est. Caesar Ambianos, Suessiones, Veromanduos, Atrebates, Belgarum populos, quorum ingens multitudo erat, proelio victos in deditionem accepit; ac deinde contra Nervios unius civitatis cum magno discrimine pugnavit, eamque gentem delevit, quae bellum gessit, donec ex sexaginta milibus armatorum trecenti superessent, ex sexcentis senatoribus tres tantum evaderent. Lege lata de redigenda in provinciae formam Cypro et publicanda pecunia regia,

---

peius de Mithridate, ductis ante currum Mithridatis liberis et Tigrane, Tigranis filio, triumphavit. „Ordinem temporum hic non servari, ac Pompeium de Mithridate aliisque in Oriente devictis diu (triennio) ante initium belli Gallici triumphasse certum est." Drak. (Triumphavit a. u. c. 693.) — 1. („Caesar, ex Hispania redux, Pompeium et Crassum inter se ac sibi ita conciliat, ut eorum arbitrio omnia in re publica gerantur. a. u. c. 694. Zumpt.) — 9. Tacitus Ann. 1, 42: *D. Iulius seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando qui sacramentum eius detrectabant.* — 17. *unius civitatis*] Ante Drakenborchium, qui sic ex Codd. aliq. dedit, legebatur: *unam harum civitatum* pro quo Gronovius volebat: *unam horum civitatem.*

M. Catoni administratio eius rei mandata est. Ptole-
maeus Aegypti rex, ob iniurias quas patiebantur, a
698 suis regno pulsus Romam venit. C. Caesar Venetos,
gentem Oceano iunctam, navali proelio vicit. Prae-
terea res a legatis eius eadem fortuna gestas continet.

Liber CV.

Cum C. Catonis tribuni plebis intercessionibus co-
mitia tollerentur, senatus vestem mutavit. M. Cato in
petitione praeturae, praelato Vatinio, repulsam tulit.
Idem cum legem impediret qua provinciae consulibus
in quinquennium, Pompeio Hispaniae, Crasso Syria et
Parthicum bellum, Caesari Gallia et Germania daban-
tur, a C. Trebonio tribuno plebis, legis auctore, in
699 vincula ductus est. A. Gabinius proconsul Ptolemaeum
reduxit in regnum Aegypti, electo Archelao, quem sibi
regem adsciverant. Caesar victis Germanis in Gallia
caesisque Rhenum transcendit, et proximam partem
Germaniae domuit; ac deinde Oceano in Britanniam,
primo parum prospere tempestatibus adversis, traiecit,
iterum felicius; magnaque multitudine hostium caesa
aliquam partem insulae in potestatem redegit.

Liber CVI.

700 Iulia Caesaris filia, Pompeii uxor, decessit; honos-
que ei a populo habitus est, ut in campo Martio sepe-
liretur. Gallorum aliquot populi, Ambiorige duce Ebu-
ronum, defecerunt; a quibus Cotta et Titurius legati

2. *quas patiebantur, a suis regno pulsus*] Sic recte legebatur ante Drakenborchium. Hic: *quas patiebatur a suis, regno pulsus*. — 20. *iterum felicius*] auctore Gronovio Kreyssig et Bekkerus: libri *iterum parum felicius*. — 25. Fort. *Eburone*. cf. p. 315. v. 1. Bait.

Caesaris circumventi insidiis, cum exercitu cui praeerant, caesi sunt. Et cum aliarum quoque legionum castra oppugnata magno labore defensa essent, interque ea, quibus in Nerviis praeerat Q. Cicero, ab ipso Caesare hostes proelio fusi sunt. M. Crassus bellum Parthis illaturus Euphratem fluvium transiit, victusque 701
proelio, in quo et filius eius cecidit, cum reliquias exercitus in collem recepisset, evocatus in colloquium ab hostibus velut de pace acturis, quorum dux erat Surenas, comprehensus et, ne quid vivus pateretur, repugnans interfectus est.

Liber CVII.

C. Caesar Treviris in Gallia victis iterum in Germaniam transiit, nulloque ibi hoste invento reversus in Galliam Eburones et alias civitates, quae conspiraverant, vicit, et Ambiorigem in fuga persecutus est. P. Clodii a T. Annio Milone, candidato consulari, Appia 702
via ad Bovillas occisi corpus plebs in curia cremavit. Cum seditiones inter candidatos consulatus Hypsaeum Scipionem et Milonem essent, qui armis ac vi contendebant, ad comprimendas eas Cn. Pompeius legatus a senatu consul tertium factus est, absens et solus, quod nulli alii unquam contigit. Quaestione decreta de morte P. Clodii, Milo iudicio damnatus in exsilium actus est. Lex lata est, «ut ratio absentis Caesaris in petitione consulatus haberetur,» invito et contradicente M. Catone. Praeterea res gestas a C. Caesare adversus Gal-

---

3. *interque ea, quibus - - Cicero]* Gronovio auctore Bekkerus: *interque eos, qui - - Cicero* Vulgo, *inter quas eius, qui - - Ciceronis* Drakenborchio auctore Kreyssig. — 16. *in fuga frustra* Dukerus. — 17. *candidato consulari]* Cod. Leid. *candidato consulatus* Vulgo. — 21. *legatus]* *rogatus* Gronovius.

los, qui prope universi Vercingentorige Arverno duce defecerunt, et laboriosas obsidiones urbium continet, inte quas Avarici Biturigum et Gergoviae Arvernorum.

Liber CVIII.

C. Caesar Gallos ad Alesiam vicit, omnesque Gal-
liae civitates, quae in armis fuerant, in deditionem ac-
cepit. C. Cassius, quaestor M. Crassi, Parthos, qui in
Syriam transcenderant, cecidit. In petitione consulatus
703 M. Cato repulsam tulit, creatis consulibus Ser. Sulpi-
cio, M. Marcello. C. Caesar Bellovacos cum aliis Gal-
lorum populis domuit. Praeterea contentiones inter con-
sules de successore C. Caesari mittendo, agente in se-
natu M. Marcello consule, ut Caesar ad petitionem con-
sulatus veniret, cum is lege lata in tempus consulatus
provincias obtinere deberet, resque a M. Bibulo in Sy-
ria gestas continet.

Liber CIX.

704 Causae civilium armorum et initia referuntur, con-
tentionesque de successore C. Caesari mittendo, cum
se dimissurum exercitus negaret, nisi a Pompeio dimit-
terentur. Et C. Curionis tribuni plebis primum adver-
sus Caesarem, deinde pro Caesare actiones continet.
Cum senatus consultum factum esset, ut successor Cae-
sari mitteretur, M. Antonio et Q. Cassio tribunis ple-
bis, quoniam intercessionibus id senatus consultum im-
pediebant, urbe pulsis, mandatum est a senatu consu-
libus et Cn. Pompeio, ut viderent ne quid res publica
705 detrimenti caperet. C. Caesar bello inimicos persecu-
turus cum exercitu in Italiam venit; Corfinium cum
L. Domitio et P. Lentulo cepit, eosque dimisit; Cn.
Pompeium ceterosque partium eius Italia expulit.

Liber CX.

C. Caesar Massiliam, quae portas ipsi clauserat, obsedit; et relictis in obsidione urbis eius legatis C. Trebonio et D. Bruto, profectus in Hispaniam L. Afranium et M. Petreium legatos Cn. Pompeii cum septem legionibus ad Ilerdam in deditionem accepit, omnesque incolumes dimisit, Varrone quoque legato Pompeii cum exercitu in potestatem suam redacto. Gaditanis civitatem dedit. Massilienses duobus navalibus proeliis victi post longam obsidionem potestati Caesaris se permiserunt. C. Antonius legatus Caesaris male contra Pompeianos in Illyrico rebus gestis captus est; in quo bello Opitergini Transpadani, Caesaris auxiliares, rate sua ab hostilibus navibus clausa, potius quam in potestatem hostium venirent, inter se concurrentes occubuerunt. C. Curio, legatus Caesaris in Africa, cum prospere adversus Varum Pompeianarum partium ducem pugnasset, a Iuba rege Mauritaniae cum exercitu caesus est. C. Caesar in Graeciam traiecit.

Liber CXI.

M. Caelius Rufus praetor, cum seditiones in urbe 706
concitaret novarum tabularum spe plebe sollicitata, abrogato magistratu pulsus urbe Miloni exsuli, qui fugitivorum exercitum contraxerat, se coniunxit. Uterque, cum bellum molirentur, interfecti sunt. Cleopatra Aegypti regina a Ptolemaeo fratre regno pulsa est. Propter Q. Cassii praetoris avaritiam crudelitatemque Cordubenses in Hispania cum duabus Varronianis legionibus a partibus Caesaris desciverunt. Cn. Pompeius ad Dyrrhachium obsessus a Caesare, et praesidiis eius cum magna clade diversae partis expugnatis obsidione

706 liberatus, translato in Thessaliam bello, apud Pharsa-
liam acie victus est. Cicero in castris remansit, vir
nihil minus quam ad bella natus; omnibusque adversa-
rum partium, qui se potestati victoris permiserunt,
Caesar ignovit.

Liber CXII.

Trepidatio victarum partium in diversas orbis ter-
rarum partes et fuga referuntur. Cn. Pompeius cum
Aegyptum petisset, iussu Ptolemaei regis pupilli, au-
ctore Theodoto praeceptore, cuius magna apud regem
auctoritas erat, et Pothino, occisus est ab Achilla, cui
id facinus erat delegatum, in navicula, antequam in ter-
ram exiret. Cornelia uxor et Sex. Pompeius filius Cy-
pron refugerunt. Caesar post tertium diem insecutus,
cum ei Theodotus caput Pompeii et anulum obtulisset,
et offensus est et illacrimavit; nec sine periculo Ale-
707 xandream tumultuantem intravit. Caesar dictator cre-
atus Cleopatram in regnum Aegypti reduxit, et infe-
rentem bellum iisdem auctoribus Ptolemaeum, quibus
Pompeium interfecerat, cum magno suo discrimine vicit.
Ptolemaeus dum fugit, in Nilo navicula subsedit. Prae-
terea laboriosum M. Catonis in Africa per deserta cum
legionibus iter, et bellum a Cn. Domitio contra Phar-
nacem parum prospere gestum continet.

Liber CXIII.

Confirmatis in Africa Pompeianis partibus, imperium earum P. Scipioni delatum est, Catone, cui ex aequo deferebatur imperium, cedente. Et cum de diruenda

---

16. *offensus*] auctore Gronovio Kreyssig et Bekkerus. Libri *infensus*. — *nec sine*] auctore eodem iidem. Libri omittunt *nec*.

urbe Utica propter favorem civitatis eius in Caesarem deliberaretur, idque ne fieret M. Cato tenuisset, Iuba suadente, ut dirueretur, tutela eius et custodia mandata est Catoni. Cn. Pompeius Magni filius in Hispania contractis viribus, quarum ducatum nec Afranius nec Petreius excipere volebant, bellum adversus Caesarem renovavit. Pharnaces Mithridatis filius, rex Ponti, sine ulla belli mora victus est. Cum seditiones Romae a P. Dolabella tribuno plebis, legem ferente de novis tabulis, excitatae essent, et ex ea causa plebs tumultuaretur, inductis a M. Antonio magistro equitum in urbem militibus octingenti e plebe caesi sunt. Caesar veteranis cum seditione missionem postulantibus dedit; et, cum in Africam traiecisset, contra copias Iubae regis cum discrimine magno pugnavit.

Liber CXIV.

Bellum in Syria Caecilius Bassus eques Romanus Pompeianarum partium excitavit, relicto a legione Sex. Caesare, quae ad Bassum transierat, occisoque eo Caesar Scipionem praetorem, Afranium Iubamque vicit ad 708
Thapsum, castris eorum expugnatis. Cato audita re cum se percussisset Uticae, et interveniente filio curaretur, inter ipsam curationem rescisso vulnere exspiravit, anno aetatis quadragesimo octavo. Petreius Iubam seque interfecit. P. Scipio in nave circumventus honestae morti vocem quoque adiecit: quaerentibus enim imperatorem hostibus dixit «Imperator bene se habet.» Faustus et Afranius occisi. Catonis filio venia data.

---

20. *praetorem*] *proconsulem* Gronovius. — 24. *octavo*] e Codd. Kreyssig. Bekker. Vulgo *nono*. — 26. *vocem quoque adiecit*] Nisi scripsit Epitomator: *vocem aeque honestam adiecit*, sic saltem interpretator.

Brutus legatus Caesaris in Gallia Bellovacos rebellantes proelio vicit.

Liber CXV.

709 **Caesar quattuor triumphos duxit, ex Gallia, ex Aegypto, ex Ponto, ex Africa. Epulum et omnis generis spectacula dedit. M. Marcello consulari, senatu rogante, reditum concessit; quo beneficio eius Marcellus frui non potuit, a Cn. Magio Cilone cliente suo Athenis occisus. Recensum egit, quo censa sunt civium capita centum quinquaginta milia. Profectusque in Hispaniam adversus Cn. Pompeium, multis utrinque expeditionibus factis et aliquot urbibus expugnatis, summam victoriam cum magno discrimine ad Mundam urbem consecutus est. Pompeius Sextus effugit.**

Liber CXVI.

C. Caesar ex Hispania quintum triumphum egit. Et cum plurimi maximique honores ei a senatu decreti essent, inter quos, «ut pater patriae appellaretur et sacrosanctus ac dictator in perpetuum esset,» invidiae causam adversus eum praestitere, quod senatui deferenti hos honores, cum ante aedem Veneris Genetricis sederet, non assurrexit, et quod a M. Antonio consule collega suo, inter Lupercos currente, diadema capiti suo impositum in sella reposuit et quod Epidio Marullo et Caesetio Flavo tribunis plebis invidiam ei tamquam regnum affectanti moventibus potestas abrogata est. Ex iis causis conspiratione in eum facta, cuius capita fue-

---

9. *Recensum]* Accuratius Suetonius Iul. 41: *Recensum populi nec more nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit, atque ex viginti trecentisque milibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retraxit.*

runt M. Brutus et C. Cassius et ex Caesaris partibus D. Brutus et C. Trebonius, in Pompeii curia occisus 710
est viginti tribus vulneribus, occupatumque ab interfectoribus eius Capitolium. Oblivione deinde caedis eius a senatu decreta, obsidibus Antonii et Lepidi liberis acceptis coniurati a Capitolio descenderunt. Testamento Caesaris heres ex parte dimidia institutus C. Octavius sororis nepos, et in nomen adoptatus est. Caesaris corpus cum in campum Martium ferretur, a plebe ante Rostra crematum est. Dictaturae honos in perpetuum sublatus est. C. Amatius, humillimae sortis homo, qui se C. Marii filium ferebat, cum apud credulam plebem seditiones moveret, necatus est.

Liber CXVII.

C. Octavius Romam ex Epiro venit (eo enim illum Caesar praemiserat, bellum in Macedonia gesturus), ominibusque prosperis exceptus etiam nomen Caesaris sumpsit. In confusione rerum ac tumultu Lepidus pontificatum maximum intercepit. Sed M. Antonius consul, cum impotenter dominaretur, legemque de permutatione provinciarum per vim tulisset, et Caesarem quoque, petentem, ut sibi adversus percussores avunculi adesset, magnis iniuriis affecisset, Caesar et sibi et rei publicae vires adversus eum paraturus deductos in colonias veteranos excitavit. Legiones quoque quarta et Martia signa ab Antonio ad Caesarem tulerunt. Deinde et complures saevitia M. Antonii, passim in castris suis trucidantis qui suspecti erant, ad Caesarem desci-

7. *ex parte dimidia*] Immo *ex dodrante*, teste Sueton. Iul. 83. — 12. *filium*] Immo *nepotem*, teste Cic. ad Att. 12, 49. — 28. *trucidantis - - erant*] Gronovio auctore Bekker. Libri *trucidati, quia et suspecti erant*.

verunt. D. Brutus, ut petenti Cisalpinam Galliam Antonio obsisteret, Mutinam cum exercitu occupavit. Praeterea discursus utriusque partis virorum ad accipiendas provincias apparatusque belli continet.

Liber CXVIII.

M. Brutus in Graecia sub praetextu rei publicae et suscepti contra M. Antonium belli exercitum, cui Vatinius praeerat, cum provincia in potestatem suam redegit. C. Caesari, qui pro re publica arma sumpserat, propraetoris imperium a senatu datum est cum consularibus ornamentis, adiectumque ut senator esset. M. Antonius D. Brutum Mutinae obsedit; missique ad eum a senatu legati de pace parum ad eam componendam valuerunt. Populus Romanus saga sumpsit. M. Brutus in Epiro C. Antonium praetorem cum exercitu potestati suae subiecit.

Liber CXIX.

C. Trebonius in Asia fraude P. Dolabellae occisus est. Ob id facinus Dolabella hostis a senatu iudicatus est. Cum C. Pansa consul male adversus Antonium pugnasset, A. Hirtius consul cum exercitu superveniens fusis M. Antonii copiis fortunam utriusque partis aequavit. Victus deinde ab Hirtio et Caesare Antonius in Galliam confugit, et M. Lepidum cum legionibus, quae sub ipso erant, sibi iunxit; hostisque a senatu cum omnibus qui intra praesidia eius essent, iudicatus
71 est. A. Hirtius, qui post victoriam in ipsis hostium castris ceciderat, et C. Pansa, e vulnere, quod in ad-

---

9. *qui pro re publica*] Sigonius: Libri *qui primus rei publicae.* — 10. *propraetoris*] Sigonius: Libri *pro populo Romano.*

verso proelio exceperat, defunctus, in campo Martio sepulti sunt. Adversus C. Caesarem, qui solus e tribus ducibus supererat, parum gratus senatus fuit, qui D. Bruto obsidione Mutinensi a Caesare liberato honore triumphi decreto, Caesaris militumque eius mentionem non satis gratam habuit; ob quae C. Caesar, reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia, Romam cum exercitu venit, et perculsis adventu eius iis qui in eum iniqui erant, cum annos XIX. haberet, consul creatus est.

Liber CXX.

Caesar consul legem tulit de quaestione habenda in eos, quorum opera pater occisus esset; postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius, D. Brutus absentes damnati sunt. Cum M. Antonio vires Asinius quoque Pollio et Munatius Plancus cum exercitibus suis adiuncti ampliassent, et D. Brutus, cui senatus ut persequeretur Antonium mandaverat, relictus a legionibus suis profugisset, iussu Antonii, in cuius potestatem venerat, a Capeno Sequano interfectus est. C. Caesar pacem cum 711
Antonio et Lepido fecit, ita ut tresviri rei publicae constituendae per quinquennium essent ipse et Lepidus et Antonius, et ut suos quisque inimicos proscriberent; in qua proscriptione plurimi equites Romani, centum triginta senatorum nomina fuerunt, et inter eos L. Paulli fratris M. Lepidi, et L. Caesaris Antonii avunculi,

---

3. *parum gratus senatus*] Verius Suetonius Oct. 12: *Ut cognovit Antonium post fugam a M. Lepido receptum, ceterosque duces et exercitus consentire pro partibus, causam optimatium sine cunctatione deseruit, ad praetextum mutatae voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus: quasi alii se* puerum, *alii* ornandum tollendumque *iactassent nec aut sibi aut veteranis par gratia referretur.*

et M. Ciceronis. Huius occisi a Popillio legionario milite, cum haberet annos sexaginta tres, caput quoque cum dextra manu in Rostris positum est. Praeterea res a M. Bruto in Graecia gestas continet.

Liber CXXI.

C. Cassius, cui mandatum a senatu erat, ut Dolabellam hostem iudicatum bello persequeretur, auctoritate rei publicae adiutus Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem provincia erant, in potestatem suam redegit, Dolabellam in urbe Laodicea obsessum mori coëgit. M. quoque Bruti iussu C. Antonius captus occisus est.

Liber CXXII.

M. Brutus adversus Thracas prospere rem gessit; omnibusque transmarinis provinciis exercitibusque in potestatem eius et C. Cassii redactis, coierunt Smyrnae uterque ad ordinanda belli futuri consilia. M. Messallae Poplicolam fratrem victum communi consilio condonaverunt.

Liber CXXIII.

Sex. Pompeius Magni filius, lectis ex Epiro proscriptis ac fugitivis, cum exercitu diu sine ulla loci cuiusquam possessione praedatus in mari, Messanam oppidum in Sicilia primum, deinde totam provinciam occupavit; occisoque A. Pompeio Bithynico praetore Q. Salvidienum legatum Caesaris navali proelio vicit. Caesar et Antonius cum exercitibus in Graeciam traiecerunt, bellum contra Brutum et Cassium gesturi. Q. Cornificius in Africa T. Sextium, Cassianarum partium ducem, proelio vicit.

---

28. *Q. Cornificius - - vicit*] Haec auctore Dione Cassio 48, 21. ita

Liber CXXIV.

C. Caesar et Antonius apud Philippos vario eventu 712
adversus Brutum et Cassium pugnaverunt, ita ut dextra utrinque cornua vincerent, et castra quoque utrinque ab iis qui vicerant expugnarentur. Sed inaequalem fortunam partium mors Cassii fecit, qui cum in eo cornu fuisset, quod pulsum erat, totum exercitum fusum ratus mortem sibi conscivit. Altero deinde proelio victus M. Brutus ipse vitam finivit, exorato Stratone fugae comite ut sibi gladium adigeret, annorum circiter quadraginta; inter quos Q. Hortensius occisus est.

Liber CXXV.

C. Caesar relicto trans mare Antonio, quae provinciae ex partitione imperii in potestatem eius cesserant, reversus in Italiam veteranis agros divisit. Seditiones exercitus sui, quas corrupti a Fulvia M. Antonii uxore milites adversus imperatorem suum concitaverant, cum gravi periculo inhibuit. L. Antonius consul, M. Antonii frater, eadem Fulvia consiliante bellum Caesari intulit; receptis in partes suas populis, quorum agri veteranis assignati erant, et M. Lepido, qui custodiae urbis cum exercitu praeerat, fuso, hostiliter in urbem irrupit.

---

invertenda suasit Drakenborchius: *Q. Cornificium in Africa Cassianarum partium ducem T. Sextius proelio vicit.* — 4. *utrinque cornua*] Gronovius: Libri *utriusque cornua.* — 10. *adigeret*] Locum mutilum sic redintegrandum suasit Sigonius: *adigeret. Idemque fecerunt principum Romanorum circiter XL. Inter quos* cet. — 12. *relicto - - reversus*] Ita restitutus est locus a Kreyssigio partim e Codd., partim ex Gronovii et Crevierii coniecturis. Vulgo: *relicto Antonio, transmarinae provinciae ex parte imperium ei cessit: reversus.*

Liber CXXVI.

713 C. Caesar cum esset annorum viginti trium, obsessum in oppido Perusia L. Antonium conatumque aliquoties erumpere et repulsum fame coëgit in deditionem venire; ipsique et omnibus militibus eius ignovit, Perusiam diruit. Redactisque in potestatem suam omnibus diversae partis exercitibus, bellum citra ullum sanguinem confecit.

Liber CXXVII.

Parthi Labieno, qui Pompeianarum partium fuerat, duce in Syriam irruperunt, victoque Decidio Saxa M. Antonii legato totam eam provinciam occupaverunt.
714 M. Antonius, cum ad bellum contra Caesarem gerendum paratus esset, uxore Fulvia dimissa, ne concordiae ducum obstaret, pace facta cum Caesare sororem eius Octaviam in matrimonium duxit. Q. Salvidienum consilia nefaria contra Caesarem molitum indicio suo protraxit, isque damnatus mortem sibi conscivit. P. Ventidius Antonii legatus Parthos proelio victos Syria expulit, Labieno eorum duce occiso. Cum vicinus Italiae
715 hostis Sex. Pompeius Siciliam teneret et commercium annonae impediret, cum eo postulatam pacem Caesar et Antonius fecerunt, ita ut Siciliam provinciam haberet. Praeterea motus Africae et bella ibi gesta continet.

Liber CXXVIII.

716 Cum Sex. Pompeius rursus latrociniis mare infestum redderet, nec pacem quam acceperat praestaret, Cae-

---

14. Videtur leg. ex parte cum Dukero: *uxore Fulvia amissa, quae concordiae ducum obstiterat.* Ille malebat *obstabat*, ego plusquamperfectum praefero.

sar necessario adversus eum bello suscepto, duobus navalibus proeliis dubio eventu pugnavit. P. Ventidius legatus M. Antonii Parthos in Syria proelio vicit, regemque eorum Pacorum occidit. Iudaei quoque a legatis Antonii subacti sunt. Praeterea belli Siculi apparatum continet.

Liber CXXIX.

Adversus Sex. Pompeium vario eventu navalibus proeliis pugnatum est, ita ut ex duabus Caesaris classibus altera, cui Agrippa praeerat, vinceret, altera, quam Caesar duxerat, deleta expositi in terram milites in magno periculo essent. Victus deinde Pompeius in 718
Siciliam profugit. M. Lepidus, qui ex Africa velut ad societatem belli contra Sex. Pompeium a Caesare gerendi traiecerat, cum bellum Caesari quoque inferret, relictus ab exercitu, abrogato triumviratus honore vitam impetravit. M. Agrippa navali corona a Caesare donatus est; qui honos nulli ante eum habitus erat.

Liber CXXX.

M. Antonius dum cum Cleopatra luxuriatur, tarde Mediam ingressus bellum cum legionibus octodecim et sexdecim milibus equitum Parthis intulit; et cum duabus legionibus amissis, nulla re prospere cedente, retro rediret, insecutis subinde Parthis, et ingenti trepidatione et magno totius exercitus periculo in Armeniam reversus est, viginti et uno diebus trecenta milia fuga emensus. Circa octo milia hominum tempestatibus amisit. Tempestates quoque infestas super tam infeliciter

4. *Pacorum* supplevi ego, et facile post v. *eorum* excidere poterat.

susceptum Parthicum bellum culpa sua passus est, quia hiemare in Armenia nolebat, dum ad Cleopatram festinat.

Liber CXXXI.

719 Sex. Pompeius, cum in fidem M. Antonii veniret, bellum adversus eum in Asia moliens, oppressus a legatis eius occisus est. Caesar seditionem veteranorum cum magna pernicie motam inhibuit; Iapydas et Dal-
720 matas et Pannonios subegit. Antonius Artavasdem Armeniae regem, fide data perductum, in vincula coniici iussit, regnumque Armeniae filio suo ex Cleopatra nato dedit, quam uxoris loco, iam pridem captus amore eius, habere coeperat.

Liber CXXXII.

Caesar in Illyrico Dalmatas domuit. Cum M. Antonius ob amorem Cleopatrae, ex qua duos filios habebat, Philadelphum et Alexandrum, neque in urbem venire vellet neque finito triumviratus tempore imperium deponere, bellumque moliretur, quod urbi et Italiae inferret, ingentibus tam navalibus quam terrestri-
722 bus copiis ob hoc contractis, remissoque Octaviae sorori Caesaris repudio, Caesar in Epirum cum exercitu traiecit. Pugnae deinde navales et proelia equestria secunda Caesaris referuntur.

Liber CXXXIII.

723 M. Antonius ad Actium classe victus Alexandream profugit; obsessusque a Caesare in ultima rerum desperatione, praecipue occisae Cleopatrae falso rumore

---

4. *veniret*] *venisset* mavolt Gronovius.

impulsus, se ipse interfecit. Caesar Alexandrea in po- 724
testatem redacta, Cleopatra, ne in arbitrium victoris
veniret, voluntaria morte defuncta, in urbem reversus
tres triumphos egit, unum ex Illyrico, alterum ex
Actiaca victoria, tertium de Cleopatra, imposito fine
civilibus bellis altero et vigesimo anno. M. Lepidus
Lepidi, qui triumvir fuerat, filius, coniuratione contra
Caesarem facta bellum moliens, oppressus et occi-
sus est.

Liber CXXXIV.

Caesar rebus compositis, et omnibus provinciis in
certam formam redactis, Augustus quoque cognomina- 727
tus est; et mensis Sextilis in honorem eius appellatus
est. Cum ille conventum Narbone ageret, census a
tribus Galliis, quas Caesar pater vicerat, actus. Bel-
lum adversus Bastarnas et Moesos et alias gentes a
M. Crasso gestum refertur.

Liber CXXXV.

Bellum a M. Crasso adversus Thracas et a Cae- 729
sare adversus Hispanos gestum refertur, et Salassi,
gens Alpina, perdomiti.

Liber CXXXVI.

Raetia a Ti. Nerone et Druso Caesaris privignis 739
domita. Agrippa Caesaris gener mortuus, et a Druso 742
census actus est.

Liber CXXXVII.

Civitates Germaniae cis Rhenum et trans Rhenum
positae oppugnantur a Druso, et tumultus, qui ob cen-
sum exortus in Gallia erat, compositus; ara Caesari

ad confluentem Araris et Rhodani dedicata, sacerdote creato C. Iulio Vercundari Dubio Aeduo.

Liber CXXXVIII.

Thraces domiti a L. Pisone; item Cherusci, Tencteri, Chatti aliaeque Germanorum trans Rhenum gentes subactae a Druso referuntur. Octavia soror Augusti de-
731 functa, antea amisso filio M. Marcello; cuius monumenta sunt theatrum et porticus nomine eius dedicata.

Liber CXXXIX.

Bellum adversus Transrhenanas gentes a Druso gestum refertur, in quo inter primores pugnaverunt Senectius et Anectius tribuni, ex civitate Nerviorum. Dalmatas et Pannonios Nero frater Drusi subegit. Pax cum Parthis facta est, signis a rege eorum, quae sub Crasso et postea sub Antonio capta erant, redditis.

Liber CXL.

Bellum adversus Germanorum trans Rhenum civi-
745 tates gestum a Druso refertur. Ipse ex fractura, equo super crus eius collapso, tricesimo die quam id acciderat mortuus est. Corpus a Nerone fratre, qui nuntio valetudinis evocatus raptim accurrerat, Romam pervectum et in C. Iulii tumulo conditum. Laudatus est a Caesare Augusto vitrico, et supremis eius plures honores additi.

---

14. *signis*] *ante* ante hoc v. excidisse ratus est Massonus, sed absorptum est h. v. potius a v. *erant*.